



# **Specimen inaugurale exhibens disquisitionem de Cartesii methodo**

<https://hdl.handle.net/1874/299691>








Misc. doctr.  
Qu. n<sup>o</sup> 192

1. Roo, L. G. de. De Cartesii  
methodo.
2. Kroon, Th. Aangaande epilepsie  
en hare behandeling met valeriana  
nas atropini etc.
3. Lambert, H. J. Over de hoogenaamde  
wandelende milt.
4. Tour van Bellinchare, M. W. du.  
Geschiedenis der rechtsmagt van  
Gedep. Staten
5. Ankersmit, P. Scheikundig over  
rijt der Suikers
6. Schröder, H. P. Disp. contin.  
quaestiones Iocrateas duas.
7. Velden, P. A. van der. De sancti-  
tate commercii epistolarum.
8. Flier, A. van der. De Johanne  
Coccejo anti-scholastico.
9. Neuvenhuis, J. Domela. De car-  
cere cellulari.









RIJKSUNIVERSITEIT UTRECHT



0523 1919

1876 I

SPECIMEN INAUGURALE  
EXHIBENS DISQUISITIONEM  
DE CARTESII METHODO,

QUOD,  
ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

BERNARDI TER HAAR,

THEOL. DOCT. ET PROF. ORD.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE  
ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

Deo Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN

PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITERIS HUMANIORIBUS  
HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTET,

LEONARDUS GULIELMUS GISBERTUS DE ROO,

e pago Moerdijk,

A. D. XVI M. APRILIS, ANNI MDCCCLIX, HORA I.



TRAJECTI AD RHENUM,  
APUD POST UTTERWEER & SOC.  
MDCCCLIX.



STAMMEN INVALE


DR. CARLSTADT METHODEN

DEUTSCHER VERLAG

VERLAGS-ANSTALT FÜR ALLEMANNEN


LEONHARD GÜNTHERS VERLAG

Ex officina typographica J. G. Andriessen.



PARENTIBUS CARISSIMIS.





L. S.

*Ut legi satisfacerem hanc de Cartesii methodo disputationem<sup>1)</sup> institui edoque. Metuerem sane criticorum iudicia si summos disciplinarum petenti honores esset conscribendus liber absolutus omnibus numeris, at confido me hisce quaestionibus ratiocinando et argumentando excussis haud prorsus defuisse officio et legi.*

*Quum mihi ad munus ecclesiasticum tendere erat constitutum, anquirebam quo literarum honores obtinerem tale scriptiois argumentum quod mihi theologo foret usui. Attendi ad controversiam quae inter Cartesium et G. Voetium fuerat: sed mox comperiebam majore irae quam scientiae studio istas actas esse lites. Quo factum est ut et relinquerem propositum, et, ne aberrarem nimis, aggrederer finitimam quaestionem, quam lectori nunc*

---

*1) Prodiit hisce diebus liber viri nobilissimi Foucher de Careil, quem frustra consulere adhuc conatus sum.*

---

offero, qua potui maxima expositam perspicuitate. In magnis voluisse satis est!

Omnes, ut assolet, laudare praeceptores non attinet. Quorum sum discipulus iis semper et perquam gratum me praestare opto. Non autem facere possum ut non Cl. Karsten et Rovers, quibus multum me debere gaudeo, palam gratias agam. Praeclara erga me merita Cl. Opzoomer, Promotoris plurimo aestimandi, verbis extollere non decet; eximiae ejus institutionis recordatio semper mihi erit dulcissima. Verum si quid profeci, prae omnibus debeo Vobis, Parentes carissimi, quibus hic libellus sit sacer. Gratissima vestrum amorem curamque prosequor memoria, neque avunculi Cl. van Rees, unquam delebit meritorum erga me memoriam oblivio. Sint vobis gratiae gratiae meae! Et si nondum satis mea vobis probaverim studia, attamen Vos mihi non diffidere certo scio.

Sit et lector benevolus!

---



## CONSPECTUS.

---

PROOEMIUM. . . . .	Blz. 1
EXORDIUM. . . . .	" 5
DE CARTESII METHODO. . . . .	" 11
CARTESII METHODI USUS. . . . .	" 27
DE CARTESIANAE METHODI VI ET PRETIO. . . . .	" 38
CONCLUSIO. . . . .	" 75



Falsitas principiorum melius probari non potest quam dicendo eorum  
ope per multa secula quibus in usu fuerunt, nullum progressum in  
cognitione rerum fieri potuisse.

CARTESIUS.

M. Descartes avait trouvé la manière de faire prendre ses conjectures  
et fictions pour des vérités. Et il arrivait à ceux qui lisaient ses  
Principes de philosophie quelque chose semblable qu'à ceux qui lisent  
des romans qui plaisent et font la même impression que des histoires  
véritables.

HUIJGENS.

Die Philosophie absolute als apriorische, apodiktische Vernunft-  
wissenschaft ist nicht möglich. Das ist ein fait accompli.

BARACH.

## PROOEMIUM.

---

Ab antiquo iam aevo de scientiae principiis disputatum est; nostris etiam diebus doctissimi viri ambigunt de via, qua certa cognitio est quaerenda. Alii experientiam, alii purum intellectum unicum verae scientiae fontem habent; alii naturam observantes, alii mentem intuentes veritatem persequuntur; alii cognoscunt ea quae sunt, alii haec necessario esse probare sibi videntur; alii realistae, alii idealistae vocantur, haud nominibus illis scholasticis, sed de disciplinarum fonte, qui vel in rebus vel in ideis creditur esse. Ab utra parte sit veritas dijudicat historia.

Omnis autem recentiorum philosophia pendet a duumviris, qui suae aetatis fuerunt lumina. In Bacone et Cartesio apparet discrimen, quod philosophos in duas partes dividit et quod conatu partes contrarias conciliandi tolli non potest. Iudicium de utriusque principiis ad omnes philosophos pertinet. Baconis enim methodus eadem est quae fautorum experientiae; Cartesii principium omnes dialectici tenent.



Jam patet judicium de hoc Cartesii principio et de ratione, qua illo usus sit ad veritatem investigandam non de uno Cartesio ferri. Habuit sane nova philosophia plures formas, quarum quaeque prioribus antecellere videbatur; at historia docet omnium duo tantum esse genera, quae singula eodem fundamento nitantur. Utro fundamento quaeque disciplina nitatur discernitur quaestione soluta utrum intellectus veritatem possit creare an recipere tantum; quam quaestionem, quippe quae etiam his diebus multorum teneat animos, plane intelligere et pro viribus dijudicare conabimur exponentes Methodum sive rationem, quam in disciplinis sequendam esse statuit Cartesius. Magna autem spes oritur fore ut jam in illo ipso philosophiae principe conspiciatur quam nulli sint puri intellectus fructus.

Paucis praemonebimus quale consilium sibi proposuerit Cartesius; quid sit ipso iudice philosophia; quanam sint ea quae philosophia contineat, et quibus mentis facultatibus praeditus philosophus propositum consilium persequatur. Quibus expositis

*primum* universe de Cartesii methodo agemus,  
*tum* de methodi usu in philosophia Cartesiana,  
*tandem* de methodi vi eiusque pretio.

Fontibus usns sum ipsius Cartesii scriptis, inprimis *Dissertatione de methodo* <sup>1)</sup>, *Sex meditationibus de prima philosophia* <sup>2)</sup> et *Quatuor libris principiorum philosophiae* <sup>3)</sup>.  
 Etiam *regulae ad directionem ingenii*, *Inquisitio veritatis*

1) Amstelod. apud D. ELZEVIER. 1664.

2) " " " " 1670.

3) " " " " 1764.

*per lumen naturale* <sup>1)</sup> et *Epistolae* <sup>2)</sup> multa habent quae Cartesii mentem explicant. Ubi philosophi sententiam bene intelligere mihi visus sum adii virorum doctorum scripta, quibus philosophia Cartesiana exponitur. Libri Erdmanni <sup>3)</sup>, Fischeri <sup>4)</sup> et Ritteri <sup>5)</sup>, quorum alius alia laude floret, mihi ad manus fuerunt.

Erdmann per philosophiae et historiae notionem ostendere conatur quaenam sit recentioris prima philosophiae forma, explicat principia, quibus primus in protestantismo philosophus necessario usus esse dicitur, exponit Cartesii doctrinam ipsius verbis eamque ab aliorum objectionibus tueri studet.

Simili fere ratione Fischer in Sermonibus de Cartesio agit; non tamen fuse omnem philosophi doctrinam describit, at perspicue exponit Cartesii principium, argumentum pro Dei existentia ontologicum, et physicae principia. Cum Erdmanno Hegelii discipulus philosophiam existimat esse scientiae conscientiam, quae quomodo fuerit singulis aevis a priori exponere posse arbitrantur. De methodo neuter singillatim agit.

Ritter nulla opinione praejudicata imbutus ea quae philosophus tradidit accurate exponit. Breviter narrat Cartesii vitam, perspicue explicat rationes, quibus hic omnem cognitionem niti opinatus sit, et memorat

1) Opuscula posthuma. Amstelod. apud P. et J. BLAEV. 1701.

2) Amstel. Typogr. Blaviana. 1682 et 1683.

3) Darstellung und Kritik der Philosophie des Cartesius von Dr. J. E. ERDMANN. 1834.

4) Vorlesungen ueber Geschichte der neueren Philosophie von Dr. KUNO FISCHER. Erster Cyclus. 1853.

5) Geschichte der Philosophie von Dr. H. RITTER. Elfter Theil. 1852.



principia, quibus in physicis usus sit Cartesius. Loco suo ostendemus, ubi Ritter Cartesii mentem non bene perspexisse nobis videatur.

Nulla mentio fieret libri, quem de Cartesianismo <sup>1)</sup> scripsit Bordas Demoulin, nisi hoc opus premio ornasset societas in Gallia honoratissima. Explicare conatur scriptor quomodo Cartesius princeps sit quatuor <sup>2)</sup> sectarum, et docere studet omnis verae philosophiae principia in Cartesio inveniri. Facillimum est ei qui novit diversa philosophorum dogmata, animadvertere ea quae videntur habere aliquam similitudinem, itaque diversa systemata inter se conjungere; verum alias disciplinas ex aliis ortas esse numquam probatur; qui vero illam continuam doctrinae explicationem quaerunt temporis societatisque vim negligunt, et mentis vitam vehementer ab universa generis humani vita divellunt. Unum hoc nobis confirmare potest Bordas Demoulin nostris etiam diebus inveniri qui irritum Cartesii laborem perfici posse putent <sup>3)</sup>.

---

1) Le Cartesianisme ou la véritable renovation des sciences. Ouvrage couronné par l'Institut. Par BORDAS DEMOULIN. 1843.

2) Intelliguntur disciplinae LEIBNITZII, SPINOSAE, ARNAULDI et LOCKII.

3) Laudati libri indolem egregie prodit praefationis finis, ubi, Gutenbergii, Colombi, Copernici, Galilei aliorumque inventis laudatis, Demoulin „Campanella,“ ait, „Bacon, Ramus, Telesio, Bruno, où êtes-vous? Votre esprit, s'épuise en des rêves stériles, et la science déchire à grands coups les voiles de la nature. Parais donc, ô Descartes! le génie moderne t'attend pour se déployer dans sa puissance et sa grandeur majestueuse.“ (l. l. pg. 21). Rhetorem, non philosophum audire videmur.

---



## EXORDIUM.

---

„Credi oportet philosophiam solam esse quae nos a feris hominibus et barbaris distinguat et unamquamque civitatem eo magis civilem et cultam esse quanto melius ibi philosophentur homines, ac proinde magis in republica bonum dari non posse quam si in eadem veri reperiantur philosophi. Philosophia enim est studium sapientiae et per sapientiam non solum prudentia in rebus agendis intelligitur, verum etiam perfecta omnis earum rerum, quas homo novisse potest, scientia; quae scientia, ut perfecta sit, necessarium est ut e primis causis deducatur, ita ut ei qui hanc acquirere studet inchoandum sit ab investigatione primarum istarum causarum, quae principia vocantur“ 1). Haec scientia alibi 2) vocatur *scientia universalis*. Omnium rerum principia ita cognoscenda sunt, ut per se sint clara et evidenter, et haec principia erunt fundamentum omnis cognitionis. Sed — quomodo initium potest esse ab investigatione *primarum* causarum, quarum vis non

---

1) Epistola ad *Principiorum* interpretem Gallicum.

2) Epist. T. II. pg. 378.

nisi e *propioribus* patet<sup>1)</sup> et quomodo principii veritas potest esse per se evidens, nisi aliunde constat principium rebus convenire?

„Tota philosophia veluti arbor est, cujus radices Metaphysica, truncus Physica et rami ex eodem pullulantes omnes aliae scientiae sunt“<sup>1)</sup>. Aristotelica divisio retinetur. Praecedit Physicam quae Cosmologia jure appellari potest Metaphysica, quae Physicae exponat principia vel doceat quibus fundamentis nitatur et qualis cognosci possit Physica. Prima quaestio est de methodo et via qua veritas invenitur, quam quaestionem solvit scientia Logica dicta, quae non est confundenda cum Dialectica. Constituta methodo quam esse videbimus mathematicam sive deductionem ex uno certissimoque principio, hoc principium est investigandum. Difficultas inest in voce principii, quod duplici sensu accipi potest; „aliud est quaerere aliquam communem notionem, quae tam clara sit et generalis ut possit principii loco assumi ad probandum entium omnium, quae postea cognoscentur, existentiam, aliud vero, ens aliquod quaerere, cujus existentia sit nobis notior ullorum aliorum entium existentia, ita ut principii loco apud nos esse possit ad ea cognoscenda“<sup>2)</sup>. Ita recentiores principium cognoscendi a principio essendi aut fiendi distinguunt<sup>3)</sup>. Per principium cognoscendi principium invenitur essendi, a quo omnes cognitiones sunt derivandae. Hoc autem ponitur in Deo, qui bene sit cognoscendus antequam

1) Epist. ad int. Gall.

2) Epist. T. I. pg. 379.

3) System der Logik von Dr. Fr. UEBERWEG. Bonn 1857. pg. 413.



mundus clare intelligi possit. Itaque Metaphysica continet doctrinam de Deo, qui omnium rerum et disciplinarum auctor est. „Ad Deum solum, (sunt verba Cartesii) qui mundum creavit attendo, primas causas quaesivi omnium quae sunt aut esse possunt in ipso. Expendi quinam essent primi et maxime ordinarii effectus, qui ex his causis deduci possent; videor mihi hac via cognovisse coelos, astra, terram, imo etiam in terra aquam, aërem, ignem, mineralia et quaedam ejusmodi alia quae sunt omnium maxime communia simplicissimaque“<sup>1)</sup>. In media versamur physica. Novimus Cartesium sibi propositum habuisse *κόσμον* conscribere, a quo tamen consilio cum ecclesiae metus experimentorumque difficultates absterruerunt. Sed et e verbis modo allatis et aliunde satis efficitur qua ratione consilium suum persecutus esset philosophus. „Novum sibi informabat mundum, ut quae in eo contingerent cognosceret, si Deus alicubi in spatiis imaginariis sufficientem ad eum componendum materiae copiam crearet, varieque et sine ordine diversas hujus materiae partes agitare, deinde nihil aliud ageret quam ordinarium suum concursum naturae commodare ipsamque secundum leges a se constitutas agere sineret. Ita primum hanc materiam descripsisset, et eo modo eam depingere conatus esset ut nihil ipsius quidem sententia clarius aut intelligibilius in mundo fuisset. Praeterea quatenus essent naturae leges ostendisset et postea ostendisset quomodo maxima pars materiae istius, Chaos, secundum has leges ita se dispositura et collocatura

1) De Meth. pg. 39.



esset ut nostris caelis similis evaderet " 1). Nonne fabrum audire putas aliquod componentem artificium? Egregie certe mundum cognitum haberemus Cartesii ingenio constructum; sed novus fuisset mundus toto fortasse coelo distans a vero, qui est cognoscendus. Quomodo verum dignoscemus?

Audivimus e Physica pullulare, tamquam ex arbore fructus, disciplinas, quae Mechanica, Medicina, Ethica vocantur. Non purae sunt disciplinae, sed cum ad vitae usum agendique rationem spectent, practicae appellantur. Cognitis naturae legibus, natura uti potest homo. Certis legibus causae et effectus inter se sunt juncti. Ita facile perspicit mechanicus qua ratione uti possit legibus aequilibrii et motus; medicus novit quomodo naturae sit dux et ethicus intelligit qualia sint vitae sana principia. Si quae Cartesius de Mathesi, Algebra, Mechanica Medicina meritis esset, mihi essent exponenda, multis nominibus laudandus esset philosophus. Verum non placet describere quae apud MONTUCLA<sup>2)</sup>, SPRENGEL<sup>3)</sup>, WHEWELL<sup>4)</sup> aliosque invenias. Nos magis decet ad Ethicam animum advertere. Mirum videtur philosophum nostrum de disciplina morali nihil fere scripsisse. Retinebat eum litium evitandarum studium<sup>5)</sup>, quoniam bene sentiebat

---

1) De Meth. pg. 27.

2) J. F. MONTUCLA. Histoire des Mathématiques. An VI (1799). T. II, pg. 111, seq.

3) KURT SPRENGEL. Versuch einer pragmatischen Geschichte der Arzneikunde. 1827. T. VI. pg. 66 et 68.

4) WHEWELL. History of the inductive sciences, 1847. T. II, pg. 52 et passim.

5) Epist. T. I. pg. 4, 69.

sententiam „physicas veritates esse fundamentum altissimae et perfectissimae Ethicae“ 1) et „rationem, si quae possit inveniri quae homines sapientiores et ingeniosiores reddat quam hactenus fuerunt, illam in Medicina quaeri debere“ 2), quam maxime differre a vulgari opinione. Et quid ex hac doctrina statuendum est de virtute, quae sit „firmum et constans propositum ea omnia faciendi quae ratio suadebit“ 3)?

Cartesius, ut vidimus, sapientiam, quae de omnibus vere iudicat, summum habet bonum ad quod ducit philosophia, quae omnia investigans rerum principia quaerit. His fretus mundi leges in Physica exponet sapiens, qui scientiae fructus per Mechanicam, Medicinam, Ethicam humano generi afferre cupiat.

Quis est qui hunc finem contemnat? „Sed ne incertissimus quid possit animus neque perperam et temere laboret, antequam ad res in particulari cognoscendas nos accingamus, oportet semel in vita diligenter quaesivisse quarumnam cognitionum humana ratio sit capax“ 4). Hujus indagationis vestigia frustra apud Cartesium quaeruntur. In dissertatione de Methodo omnia cognosci posse sperare audent. „Longae enim illae valde simplicium et facilium rationum catenae, quarum ope Geometrae ad rerum difficillimarum demonstrationem ducuntur, ansam ipsi dederant existimandi ea omnia quae in hominis cognitionem cadunt, eodem pacto se mutuo sequi, et dummodo nihil in illis falsum pro vero admittamus, semper-

1) Epist. T. I. pg. 86.

2) De Meth. pg. 38.

3) Epist. T. I. pg. 7.

4) Reg. ad d. i. pg. 23.



que ordinem quo una ex aliis deduci possunt observemus, *nulla esse tam remota ad quae tandem non perveniamus nec tam occulta, quae non detegamus*<sup>1)</sup>. Si quis opinaretur Cartesium ea tantum significare quae in hominis cognitionem cadant, neque negare poterit in hanc omnia cadere quum nihil sit occultum.

Quibus vero mentis facultatibus cognitio acquiri potest Cartesius his verbis docet. „Solus intellectus est scientiae capax, sed a tribus aliis facultatibus haec juvari potest vel impediri, nempe ab imaginatione, sensu et memoria”<sup>2)</sup>. Facillimum erit omnem cognitionem licet a sensibus ad nos perveniat intellectui tribuere, quum „sentire, imaginari et pure intelligere sint tantum diversi modi percipiendi”<sup>3)</sup>. Ad intellectus actiones postea attendemus; quatenam petenda sint ab unaquaque facultate auxilia<sup>4)</sup>. Cartesius opinatur diligentem lectorem facile collecturum esse; qua conjecturae facilitate usus censeo Cartesium ceterosque philosophos per sensus ad rerum externarum cognitionem pervenire. Exponere autem quatenus sensibus fides sit habenda non est hujus loci. Sed videbimus purum intellectum non sufficere ad sensuum errores emendandos, et nihil posse sciri, „si quidquid unquam a sensibus hauriatur inter falsa numeretur”<sup>5)</sup>.

---

1) De Meth. pg. 12.

2) Reg. pg. 32.

3) Princ. pg. 9.

4) Reg. pg. 35.

5) De Meth. pg. 20.



## DE CARTESII METHODO.

Duo sunt cognitionis gradus, alter autoritate contentus, alter rationum cupidus; quinque <sup>1)</sup> enim gradus, quos Cartesius esse statuit optime ad hos duos referri possunt. Simulac homo iudiciis suis diffidere coepit eorumque vim examinare, ne temere iis fidem tribuat, philosophus factus est; investigare vult primas causas veraque principia e quibus rationes eorum omnium quae sciri possunt deducantur <sup>2)</sup>. Quacrendi studio nullus est finis. Ideas, quas philosophus in se cognoscit rebus extra se positis convenire putat; jam oritur quaestio quid sit quod huic opinioni faveat. Plura novisse se censet; num vere novit? Priusquam cognitione gaudeat, cognitionis naturam examinat, qua cognita facile invenit viam, qua omnis scientia acquiritur. Ut rerum scientia nititur cognitionis scientia, ita methodus, qua veritas in disciplinis investigatur, e doctrina rationis cognoscentis pendet. Hujus doctrinae, quae Cartesio cum omnibus

---

1) Epist. ad Princ. Phil. Int. Gallicum.

2) Ibid.

dialecticis communis est, vis examinanda est antequam ratio exponi potest et dijudicari, qua Cartesius doctrina sua usus est, et inventa methodo intellectum de certa cognitione persuadere studuerit.

„In nobis ipsi animadvertimus solum intellectum scientiae esse capacem“ 1). Duae ponuntur intellectus actiones, per quas ad rerum cognitionem sine ullo deceptionis metu pervenire possimus: intuitus et inductio. „Per intuitum intelligitur mentis purae et attentae non dubius conceptus, qui e sola rationis luce nascitur vel mentis purae et attentae tam facilis distinctusque conceptus ut de eo quod intelligamus nulla prorsus dubitatio relinquatur“ 2). Qui intuitum fontem scientiae habent, censent in nonnullis ideis sufficere ideas intelligere ad subjecti attributa cognoscenda. Concedimus notionem, quae recta via sit acquisita, rei praebere notitiam, sed putamus opus esse ut de recta illa via constet, antequam notioni fides tribuatur. Notio debet probari, non potest usurpari prouti in mente invenitur. Ita enim notionis quidem, non vero rei scientiam haberes. Triangulum v. g. tres habere angulos est non dubius conceptus. Sed unde habeo trianguli notionem? Certe non ab intuitu. Trianguli notionem informare nequeo, nisi habeo notionem trium angulorum. Ergo trianguli, quem non cognovi ab intuitu, attributa non intelligo per intuitum. Doctrina, qua Cartesius idearum originem explicare conatur, nihil explicat. „Sensus“, inquit, „recipi-

1) Reg. pg. 24.

2) Reg. pg. 6.



unt rerum figuras quae deferuntur ad aliam quandam corporis partem quae vocatur sensus communis; hic easdem figuras sine corpore venientes in imaginatione veluti in cera format, et vis motrix est pure spiritualis quae si applicet se cum imaginatione ad sensum communem dicitur videre, tangere cact.; si ad imaginationem solam ut diversis figuris indutam, dicitur reminisci, si ad eandem ut novas fingat, dicitur imaginari vel concipere, si denique sola agat dicitur intelligere<sup>1)</sup>. Unde efficias praeter figurae nullas esse notiones, quod negat experientia, neque ex Cartesii hypothese quidquam est cur ulla notio falsa sit, ut docet experientia. Hoc modo rerum et notionum ratio non explicatur.

Ut intuitus partes defendant, multi attendunt ad veritates aeternas. Apud quos verborum lusum invenire videor. Quod semel verum est, semper verum manet, et non nisi acutis argutiis vis hujus propositionis potest infringi. Attamen est quod veritates aeternas a reliquis distinguat. Illo nomine gaudent veritates, quae facillime, i. e. semper et ubique possunt observari. Judicium est duarum idearum comparatio et relationis inter has perceptio<sup>2)</sup>. Si ideae illae, quae in reliquis fere omnibus ideis inveniuntur, comparantur et percipiuntur, judicium, quod ex ista comparatione et perceptione oritur, videbitur maxima i. e. aeterna frui veritate, quoniam amplissima observatione nititur. Intellectus nihil cogitare potest quod extra tempus et extensionem sit.

---

1) Reg. ad dir. ing. pg. 34 et 35.

2) 's GRAVESANDE, Intr. ad Phil. pg. 128.



Ita temporis extensionisque attributa evidentissime et verissime cognosci videntur, et judicia de his attributis saepius aeternae veritates vocantur; sed in omni iudicio bene tenendum est fundamentum, quo nititur, et nulla veritas per intuitum cognoscitur quoniam per intuitum nulla notio acquiritur. Nisi notionum originem perscrutaris, *rerum* nullam cognitionem habes.

Altera quae ad cognitionem ducit via „fit per deductionem, quae continet omne illud quod ex aliis quibusdam certo cognitis necessario concluditur“ <sup>1)</sup>. Ex iis quae certo sunt cognita h. c. ex iis quae intuitu sunt cognita efficitur id quod inest notionibus cognitis. Si ab aliqua notione alias deduco, notiones a se invicem distingo prioremque divido in partes e quibus compositis illa notio constat; ita notionis divisio praecedit deductionem et divisione continetur deductio. Quid notionibus prosit intuitus, vidimus. Cum vero intuitus nullam certam rerum cognitionem afferat, idem iudicium ferendum videtur de deductione. Quoniam praeterea „quaecunque una ex aliis immediate deduximus, si illatio fuit evidens, ad verum intuitum reducta jam sunt“ <sup>2)</sup>, de *inductione*, quae fit per deductionem, videre licet.

„Quoties aliqua cognitio non potest reduci ad intuitum superest nobis unica via, cui totam fidem debeamus adhibere, quae vocatur inductio. Est haec operatio, qua ex multis et disjunctis unum quid inferamus. Inductio sive sufficiens enumeratio interdum debet esse completa,

1) Reg. pg. 7.

2) Reg. pg. 19.

interdum distincta, quandoque neutra est opus. Si velim probare per enumerationem, quot genera entium sint corporea, sive aliquo pacto sub sensum cadant, non asseram illa tot esse, et non plura, nisi prius certo noverim me omnia enumeratione fuisse complexum et singula ab invicem distinxisse. Si vero eadem via ostendere velim animam rationalem non esse corpoream, non opus erit enumerationem esse completam, sed sufficiet si omnia simul corpora aliquot collectionibus ita complectar ut animam rationalem ad nullam ex his referri posse demonstrarem. Si denique per enumerationem velim ostendere circuli aream esse majorem omnibus areis aliarum figurarum, quarum peripheria sit aequalis, non opus est omnes figuras recensere, sed sufficit de quibusdam in particulari hoc demonstrare, ut per inductionem idem etiam de aliis omnibus concludatur " 1). Jam intelligimus quid sibi velit inductio. E particularibus ideis deducitur propositio „universalis, cujus subjectum quantum potest extenditur ne uno quidem individuo excepto" 2).

Pleniorem vero cognitionem hac ratione acquiri posse nemo facile existimabit. Quodsi id quod de singulis rebus novi una complector propositione, scientia eadem est. Et singularum rerum cognitionem requirit inductio. Non enim discimus quare sufficiat unum cognoscere circulum ut de omnibus certum quid cognoscamus. „Ea est natura mentis nostrae ut generales propositiones ex particularium cognitione efformet" 3). Sed inductio quae

---

1) Reg. pg. 19.

2) 's GRAVESANDE, l. l. pg. 131.

3) Resp. ad obj. 2, pg. 74.



simplex est enumeratio non praebet novas cognitiones et tantum ad inductionem per enumerationem simplicem Cartesius mihi videtur attendisse.

Philosophi finis est causas cognoscere et rerum principia. Vidimus *intuitum* nihil docere nisi quod menti insit; *deductione* notiones dividi in partes, quibus contineantur, atque *inductione* generalem propositionem e particularibus effici. Quomodo igitur rerum principia cognoscuntur?

Unum hoc monendum superest. Instrumentum, quo dialectici scientiam quaerunt, spernitur a Cartesio. Syllogismorum usus nullius fere utilitatis ei esse videbatur. Statuebat enim dialecticos nullum syllogismum, quo quid esset verum concluderetur, ante formare posse quam ejus materiam haberent, hoc est: nisi eandem veritatem quae in illo syllogismo deduceretur jam ante cognovissent; unde pateret eos ipsos ex tali forma nihil novi percipere <sup>1)</sup>. Hujus judicii causa non latet; in syllogismo „descenditur a generali ad minus generale“ <sup>2)</sup>; generale putatur cognosci non posse nisi cognitis particularibus; unde sequitur syllogismum id docere quod jam cognitum sit. Si vero tenemus propositiones generales non tantum enumeratione acquiri, syllogismum alto supercilio contemnere non audemus <sup>3)</sup>.

Sed praeterea contempti syllogismi ope carere non

---

1) Reg. pg. 30. Cf. F. UEBERWEG l. l. pg. 259.

2) DAN. WITTENBACHI, Praecepta Philosophiae Logicae. 1820. pg. 130.

3) Cf. J. S. MILL. Die inductive Logik, von Dr. J. SCHIEL. 1849. Einleit. pg. XVI.





nisi in puncto D vel F. Nam extra haec duo nullibi mutuo secantur; terra autem obstante ad D (pila) progredi non potest; sequitur itaque illam necessario tendere debere ad F. Et sic manifestum est quae ratione reflexio fiat; scilicet semper ad angulum aequalem illi, quem vulgo incidentiae nominant. Ut si radius ex puncto A emanet in B, superficiem speculi plani C B E, resilit ad F, ita ut reflexionis angulus F B E, neque cedat, neque exsuperet magnitudine alterum illum incidentiae A B C<sup>1)</sup>. Quis hoc argumentum syllogismo concludi negare potest?

Practerea censeo omnes deductiones in formam syllogismi esse reducendas. Exemplo sit ratiocinium quo Cartesius probat notionem naturae perfectae ab intellectus ideis proficisci non potuisse. Quomodo ratiocinari videtur? <sup>2)</sup>

Causa dat effectum.

Id, quod non habet non potest dare.

E. Causa habet effectum i. e. causa efficiens continet tantum quantum ipsius effectus.

Dicitur aliquis effectus magis perfectum.

E. Causa hujus magis perfecti continet tantum quantum id ipsum magis perfectum.

Minus perfectum non continet tantum quantum magis perfectum.

E. Minus perfectum non est causa magis perfecti. Quaevis intellectus idea est minus perfecta quam idea naturae perfectae.

1) Dioptrice pg. 58.

2) Med. pg. 18.



E. Quaevis intellectus idea non est causa ideae naturae perfectae.

Horum syllogismorum terminos dispersos invenias in Cartesii deductione, sed ordine dispositi probant Cartesium injuria syllogismum despexisse.

Quare Cartesius illam per intuitum et deductionem viam unicam putat? Maximam operam studiis mathematicis dederat; de matheseos veritate dubitari non poterat ejusque judicia videbantur non solum vera esse, sed etiam non posse quin vera essent. Eadem via idem petitur finis, et Cartesius more geometrico omnes cognitiones inveniri posse opinatur; sed discriminis rationem non habuit. Cognitiones erant quaerendae et Cartesius quaerendi viam eam habet qua ab aliis aliae derivantur. Analysis Geometrica (quae est in Cartesii deliciis) versatur in quaestionibus solvendis; e prius cognitis aliquid certi est derivandum. In Mechanica effectus qui legibus motus et aequilibrii nituntur legum naturae cognitione inveniuntur. Patet ergo geometriae partes, quae inventioni inserviant, inventis cognitionibus niti; at prima sapientiae quaestio non gaudet cognitionibus prius inventis. Cartesius existimat veritates mathematicas non demonstrari solum sed inveniri etiam et hujus inventionis methodum studio esse occultam. „Analysis,“ inquit, „veram viam ostendit per quam res methodice et tanquam a priori inventa est, adeo ut si lector illam sequi velit, atque ad omnia satis attendere rem non minus perfecte intelliget suamque reddet. Synthesis e contra per viam oppositam et tanquam a posteriori quaesitam clare quidem id quod conclusum est demonstrat utiturque longa definitionum, petitionum, axiomatum, theorematum



et problematum serie, ut si quid ipsi ex consequentibus negetur, id in antecedentibus contineri statim ostendat; sed non ut altera satisfacit nec discere cupientium animos explet, quia modum quo res fuit inventa, non docet " 1).

Utraque ratio in eo convenit quod certa propositio est probanda. Probare est ostendere rationem qua ad iudicium sit perventum, monstrare catenam qua veritates conjunctae sint. Initium fit ab inventa propositione cujus nexus cum iis quae prius cognita sunt quaeritur, quo perspecto facile quis prius cognita ita conjungit inter se ut propositio inventa intelligatur. Haec ratio analytica, illa synthetica dicitur. Cognitiones analytice explicari possunt; inveniuntur autem alia ratione. Intellectus qui plures habet cognitiones natura ducitur ad eas bene componendas; a simplicioribus progreditur ad majora; systematis amor a nemine est alienus. Sed philosophus cognitionum veritatem explorat antequam eas arte concludit.

In mathematicis ostenditur, ea quae sunt necessario esse. Fortasse igitur matheseos methodus ita posset adhiberi ut per eam ostenderetur quaenam experientiae cognitiones necessario sint. Hac ratione experientia iudicabitur. Ideas per se nemo non veras existimat et id quod iis insit ex iis deduci posse nemo negat. Si ideae verae sunt, singularum deductio erit certa, sed num verae sint quaeritur, et gravis manet quaestio quomodo et quatenus *res* praebeant notiones. Rerum scientia longe differt a mathematica cognitione. Extensio

---

1) Obj. pg. 82, 83.

distinctissime depingi potest in imaginatione; neque multa neque diversa experientia requiritur ut extensionis attributa observentur. Paene affirmare ausim phantasiam sufficere ut objecta matheseos adspiciantur. Eorum qualitates intuitu <sup>1)</sup> et deductione cognosci possunt et quae vocantur argumenta sunt juncturae qualitatum quae junctae observantur. Mathematicus non ostendit qualitatum causas sed nexum. Triangulum necessario continet duos angulos rectos. Hoc probari potest, non cognita causa efficiente sed perspecta natura angulorum. In aliis disciplinis primae rerum causae quaeruntur, et phaenomenon intelligitur simulac eius causa efficiens cognita est. Causarum indagacionem finem esse philosophi concedit Cartesius. At viam qua illae inveniantur non invenit. Res ab ideis, rerum causas ab idearum nexu non distinguit. Ejus cognitio rerum extra intellectum mere est hypothetica.

Cartesius dicit experientiam docere phaenomena, sed intellectum primas causas et vera principia percipere; experientia tantum novimus res esse, intellectu vero eas necessario esse. Contemnit Cartesius eos „philosophos, qui experimentis neglectis veritatem ex proprio cerebro quasi Jovis Minervam orituram putent“. Errare censet omnes Astrologos, „qui non cognita coelorum natura, sed ne quidem motibus perfecte observatis se illorum effectus posse designare putent“ <sup>2)</sup>. „Nihil inter naturae phaenomena recensendum est nisi quod sensu deprehenditur“ <sup>3)</sup>. Sensus ergo partes in disciplinis tuetur.

1) Liceat hujus vocis latiore sensu uti.

2) Reg. pg. 13.

3) Princ. IV, pg. 218.



Verulamii methodo experimentorum addictum se esse fatetur <sup>1)</sup>. Priusquam physicam exponere aggreditur „brevem historiam praeceptorum naturae phaenomenorum (quorum causae sunt investigandae) sibi ob oculos proponit“ <sup>2)</sup>.

Sed negare videtur sensuum ope de vanitate iudiciorum posse judicari. Omnis idea tanquam idea vera est, sed intellectus falli potest credendo ideas convenire cum objectis unde proveniant. Idea quam profert baculum cujus pars in aqua posita est idea est baculi fracti. Judicabit intellectus baculum in duas partes esse fractum, sed fallitur. Unde hoc novit? Ex repetita experientia quae docet idem baculum extra aquam rectum videri. „Si sensus omnes rite dispositos adhibeas, qui semper idem renuntient, maximam omnium rectitudinem cujus homo sit naturaliter capax assequeris“ <sup>3)</sup> ut recte jam docet Cartesii adversarius.

Sed Cartesius concedere non vult errorem tactu corrigi. „Etsi ex tactu baculum rectum esse judicamus, non tamen hoc sufficit ad errorem visus emendandum, sed insuper opus est ut aliquam rationem habeamus quae nos doceat credendum esse hac de re iudicio ex tactu potius quam iudicio ex visu elicitio; quae ratio non sensui sed tantum intellectui est tribuenda.“ <sup>4)</sup>

Evitatur, non solvitur difficultas; nemo enim contendit

---

1) Epist. T. II, pg. 229, 233, 353.

2) Princ. pg. 51.

3) Obj. pg. 152.

4) Resp. pg. 164.



sensum sufficere iudicio, sed ponitur experientiam praebere cognitionis materiem. Experientia ducit intellectum. „Intellectus“, ait Cartesius, „nullo unquam experimento decipi potest si praecise tantum intuetur rem sibi objectam prout illam habet; ut, si quis icterico morbo laborans flava omnia esse iudicat quod oculum habeat flavo colore tinctum, non iudicat res externas tales semper esse quales appareant, in his enim omnibus errori sumus obnoxii“ <sup>1)</sup>. Sed error est evitandus; quomodo? „*Sapientis* intellectus non fallitur, quoniam quidquid ab imaginatione accipiet, vere quidem in illa depictum esse iudicabit; numquam tamen asseret, illud idem integrum et absque ulla immutatione a rebus externis ad sensus, et a sensibus ad phantasiam defluxisse nisi prius hoc ipsum *aliqua alia ratione cognoverit*“ <sup>2)</sup>. Quatenam vero sit haec alia ratio frustra quaeres.

Diserte affirmatur intellectum statuere non posse „imaginationem fideliter referre sensuum objecta nec sensus veras rerum figuras induere, nec denique res externas tales semper esse quales appareant“ <sup>3)</sup>. Et tamen intellectus ab errore tuebitur! Nimirum intuitu et deductione, quibus nullam rerum cognitionem acquiri supra vidimus. Quis igitur locus manet experientiae? „Ut ex innumeris effectibus quos ab iisdem causis produci posse iudicamus ad unos potius quam ad alios considerandos mentem nostram determinemus“ <sup>4)</sup>. Sed nisi sensibus

1) Reg. pg. 40.

2) Reg. pg. 40.

3) Reg. pg. 39.

4) Princ. pg. 56.

fides est habenda, non est quod per sensus admoncamur ut hoc potius quam illud intellectus effatum verum esse statuamus. Denique; — si quis bene tenet rationem causae et effectus audacter negat eandem causam plures diversos parere effectus. Nulli cognoscuntur effectus nisi quos docet experientia. Hac inveniuntur et confirmantur phaenomena quorum causae mutua comparatione sunt intelligendae, neque intellectus unquam probare poterit se phaenomena bene intelligere, quum eorum principia ex se ipso indagaverit.

---

Quatuor praecepta quibus Cartesius suam post longam meditationem inventam methodum complectitur, rationem non exponunt qua certi aliquid inveniri possit, sed leges continent quae in omni studio observandae sunt. Licet eorum cum Cartesii de ratione cognoscendi doctrina vinculum non lateat, *methodum* tamen neque illustrent neque confirmant.

*Primum* Cartesius praeceptum sibi dabat, ut nihil unquam veluti verum admitteret, nisi quod certo et evidenter verum esse cognosceret, hoc est, ut omnem praecipitantiam atque anticipationem in iudicando diligentissime vitaret; nihilque amplius conclusionem complecteretur quam quod tam clare et distincte rationi suae pateret ut nullo modo in dubium vocari posset.

*Alterum*, ut difficultates quas examinaturus esset in tot partes divideret quot expediret ad illas commodius resolvendas.



*Tertium*, ut cognitiones omnes quas veritati quaerendae impenderet certo semper ordine promoveret: incipiendo a rebus simplicissimis et cognita facillimis, ut paullatim et quasi per gradus ad difficiliorem et magis compositorum cognitionem ascenderet: in aliquem etiam ordinem illas mente disponendo, quae se mutuo ex natura sua non praecedunt.

*Postremum*, ut tum in quaerendis mediis tum in difficultatum partibus percurrendis, tam perfecte singula enumeraret et ad omnia circumspiceret, ut nihil a se omitti esset certus <sup>1)</sup>).

His legibus continetur *discendi* methodus, quam, nisi, quid verum sit, et qua via id inveniendum sit noverimus, nihil prodesse unusquisque videt.

Erit nulla scientia antequam noverimus num cognitionis humana ratio capax sit. Potestne homo aliquid cognoscere? Haec quaestio est metaphysicae argumentum.

Homo saepius credit se pluribus gaudere cognitionibus; mox tamen patet quantopere deceptus sit; fidem habet sensibus notionibusque quae non verae esse reperiuntur; mentio fit de Deo omnipotente et nihil impedire videtur quominus ejus decipiendi potestas hominis cognitiones corrumpat. Quid ergo cognoscitur?

Hac propositionis divisione investigationis via monstratur. Omnis cognitio est perpendenda; veri nota est indaganda; numinis omnipotentis natura est cogno-

---

1) De Meth. pg. 22.



scenda; sensuum vis est exploranda antequam philosophus percipiat quarumnam cognitionum capax sit intellectus. Tale philosophiae fundamentum Cartesius methodo sua fretus jacere conatur in Meditationibus, quarum analysis nobis necessaria videtur ut clare perspiciamus Cartesii methodi in philosophia usum.

## CARTESII METHODI USUS.

---

Cartesius sex meditationibus ratiocinia sua complectitur <sup>1)</sup> ostenditque rationem qua invenit suam doctrinam. Optime de ejus methodi vi judicari posse videtur, ubi bene noverimus, qua ratione sua inveniendi methodo usus sit philosophus. Quod ut recte fiat ipsum audiamus narrantem philosophandi cursum.

Animadverti — ipse Cartesius loquitur — animadverti jam ante aliquot annos quam multa ineunte aetate falsa pro veris admiserim et quam dubia sint quaecunque istis postea superstruxi; cupio firmum et mansurum quid in scientiis stabilire. Igitur serio opinionum eversioni vacandum est, et quia suffossis fundamentis quidquid insuper aedificatum est sponte collabitur, aggrediar statim ipsa principia quibus illud omne quod olim credidi nitebatur. Quidquid hactenus ut maxime verum admisi vel a sensibus vel per sensus accepi; hos autem interdum fallere deprehendi; ac prudentiae est nunquam illis plane confidere qui nos vel semel decepe-

---

1) Epist. T. II, pg. 207.



runt. Sed sunt nonnulla quae nisi dementi vera mihi sunt habenda e. g. me esse toga indutum, etc. At in somnis eadem omnia patior, et video certis indiciis vigiliam a somno non posse distingui.

Sed somnia sunt veluti pictae imagines quae non nisi ad similitudinem rerum verarum fingi potuerunt. Licet igitur particularia (me esse toga indutum, etc.) non sint vera, saltem generalia (oculi, caput, manus) vera existunt et quamvis etiam generalia imaginaria esse possent tamen alia magis simplicia et universalia vera esse fatendum est, ex quibus tanquam coloribus veris omnes rerum imagines effinguntur. Cujus generis sunt natura corporea, extensio, figura, quantitas et numerus, locus et tempus. Veruntamen infixam quaedam est meae menti vetus opinio Deum esse qui potest omnia, qui fortasse fecit ut fallar quoties duo et tria simul quinque efficere censeo. Sed dicitur Deus bonus esse. Bonitati vero repugnat et si semper et si semel me decipit quod ultimum tamen fit. „Fac ergo non esse Deum.“ Sed quo minus potentem originis meae auctorem existimo, eo probabilius erit me tam imperfectum esse ut semper fallar. Itaque fateor *nihil esse ex iis quae olim vera putabam de quo non liceat dubitare et ab omnibus assensionem esse cohibendam si quid certi velimus invenire.*

Suppono jam omnia quae video falsa esse. Numquid ego aliquid sum? Esse dicitur aliquis deceptor summe callidus summe potens qui de industria me semper fallit; sed, fallat quantum potest, nunquam tamen efficit ut nihil sim quamdiu me aliquid esse cogito, adeo ut firmiter statuendum sit hoc pronunciatum: *ego sum,*

*ego existo*, necessario esse verum. Quisnam sum ego? Antehac me hominem esse putavi. Quid est homo? Anima et corpus; sed ex iis quae putantur ad corporis naturam pertinere, nihil occurrit quod possum affirmare me habere ubi suppono deceptorem aliquem potentissimum. Animae tribuebam nutrir, incedere, sentire et cogitare; nutrir, incedere, sentire non possum sine corpore. Sed cogitare? hic invenio: cogitatio una est, quae a me divelli nequeat. Sum igitur praecise res cogitans, id est mens sive animus sive intellectus sive ratio, voces mihi prius significationis ignotae, sed *sum res cogitans*. Quid igitur? res cogitans, nempe dubitans, intelligens, affirmans, negans, volens, nolens, imaginans quoque et sentiens. <sup>1)</sup> Jam incipio nosse quinam sim; sed tamen videntur res corporeae quarum imagines cogitatione formantur et quas ipsi sensus explorant multo distinctius agnosci quam illud nescio quid mei quod sub imaginationem non venit. Videamus.

Consideremus res illas quae vulgo putantur omnium distinctissime comprehendi, corpora scilicet; sumamus e. c. ceram aliquam, quam distinctissime cognoscimus. Igni admoveatur; omnia mutantur. Remanetne eadem cera? remanere fatendum est, nemo negat. <sup>2)</sup> Quid erat igitur in ea quod tam distincte comprehendebatur? Certe nihil eorum quae sensibus attingebam. Fortasse nihil aliud quam extensum quid, flexibile, mutabile. Sed

---

1) Hominem non sine corpore sentire paulo ante dictum est, hic vero inter cogitandi modos sensus refertur. Nisi notiones confunduntur ratiocinia componi non possunt.

2) Nego, si certa figura ad naturam cerae refertur.



quid flexibile, mutabile, extensum sit, imaginari non possum. Concedo igitur me non imaginari quid sit haec cera, sed sola mente percipere. Quatenam vero est haec cera quae non nisi mente percipitur? nempe eadem quam video, quam tango, quam imaginor, eadem denique quam ab initio esse arbitrabar; atqui ejus perceptio non est visio, non tactio, non imaginatio sed solius mentis inspectio. Intellectu igitur, non sensu neque imaginatione res certe cognoscuntur. Quid autem dicam de me ipso qui hanc ceram videor tam distincte percipere, numquid me ipsum non tantum multo verius, multo certius sed etiam multo distinctius evidentiusque cognosco? nam si ceram existere judico ex eo quod hanc videam, certe me ipsum etiam existere multo evidentius efficitur ex hoc ipso quod hanc videam et *aperte cognosco nihil facilius aut evidentius mea mente posse a me percipi.*

Sum certus me esse rem cogitantem; numquid ergo scio quid requiratur ut de aliqua re sim certus? Nempe in hac prima cognitione nihil aliud est quam clara quaedam et distincta perceptio ejus quod affirmo; quae sane non sufficeret ad me certum de rei veritate reddendum si posset unquam contingere ut aliquid quod ita clare et distincte perciperem falsum esset; ac proinde jam pro regula generali possum statuere *illud omne esse verum quod valde clare et distincte percipio.*

Verumtamen multa prius ut omnino certa et manifesta admisi quae postea dubia esse deprehendi. Erant haec quae extra me esse putabam et de manifestissimis dubitare coepi cum venit mihi in mentem forte Deum aliquem esse callidissimum deceptorem. Ideo quam primum

examinare debeo an sit Deus et si sit, an possit esse deceptor.

Ex omnibus meis ideis praeter illam quae me ipsum mihi exhibet alia est quae Deum, aliae quae res corporeas et inanimas, aliae quae angelos, aliae quae animalia, aliae quae alios homines mei similes repraesentent. Et quantum ad ideas quae alios homines vel animalia vel angelos exhibent, facile intelligo illas ex iis quas habeo mei ipsius et rerum corporalium et Dei notionibus posse componi, quamvis nulli praeter me homines nec animalia nec angeli in mundo essent.

Restat sola idea Dei in qua considerandum est num aliquid sit quod a me ipso non potuerit proficisci. Dei nomine intelligo substantiam quandam infinitam, independentem, summe intelligentem, summe potentem et a qua tum ego ipse, tum aliud omne si quid aliud exstat quodcumque exstat est creatum. Quae sane omnia talia sunt ut quo diligentius attendo, tanto minus a me solo profecta esse posse videantur. Si realitas objectiva <sup>1)</sup> alicujus ideae sit tanta ut certus sim eandem nec formaliter <sup>2)</sup> nec eminenter in me esse, nec proinde me ipsum ejus ideae causam esse posse, hinc sequitur non me solum esse in mundo sed aliquam aliam rem, quae istius ideae est causa, etiam existere. Ideo Deum necessario existere est concludendum. Sed quum non ita facile recordor cur idea entis me perfectioris necessario ab ente aliquo procedat quod sit revera perfectius, ulterius quaerere libet an ego ipse habens illam ideam esse possem

---

1) Objecti realitas in mente.

2) Essentialiter.



si tale ens nullum existeret. Nempe a quo essem? Si a me essem nihil omnino mihi deesset; omnes perfectiones quarum idea aliqua in me est, mihi dedissem atque ita ipsemet Deus essem. Sed fortasse semper fui et nullus existentiae meae auctor est quaerendus. At perspicuum est eadem plane vi et actione opus esse ad rem quamlibet conservandam qua opus est ad eam creandam, adeo ut conservationem sola ratione <sup>1)</sup> a creatione differre sit unum ex iis quae lumine naturali manifesta sunt. Sed nullam vim, per quam possim efficere ut ego ille, qui jam sum, paulo post etiam sim futurus, in me esse experior, et ex hoc evidentissime consequitur me ab aliquo ente a me diverso pendere. A quonam? A parentibus vel a quibuslibet aliis causis Deo minus perfectis. De illa causa potest rursus quaeri an sit a se vel ab alia; et si a se, patet illam ipsam esse Deum, sin autem sit ab alia, rursus eodem modo de hac altera quaeritur an sit a se vel ab alia donec tandem ad causam ultimam deveniatur quae erit Deus.

Plures causae a quibus ideas perfectionum accepissem fingi non possunt ob unitatem et simplicitatem eorum quae in Deo sunt; certe enim istius omnium perfectionum unitatis idea in me esse non potuit poni ab ulla causa a qua etiam aliarum perfectionum ideas non habuerim. Jam concludendum est *ex hoc solo quod existam et certa idea entis perfectissimi hoc est Dei in me sit, evidentissime demonstrari Deum etiam existere.* Qua ratione ideam istam accepi? Est mihi innata quemadmodum etiam mihi innata est idea mei ipsius.

---

1) Relative.

In primis agnosco fieri non posse ut Deus me unquam fallat. Exterior tamen me innumeris erroribus esse obnoxium quorum origo quaerenda est. Adverto illos a duabus causis simul concurrentibus dependere, nempe a cognoscendi facultate quae in me sit et ab eligendi facultate, sive ab arbitrii libertate, hoc est ab intellectu et simul a voluntate. Sed percipio nec volendi vim, quam a Deo habeo, per se spectatam, causam esse errorum meorum; est enim amplissima et in suo genere perfecta; neque etiam intelligendi vim, nam quidquid intelligo, cum a Deo habeam ut intelligam, procul dubio recte intelligo, nec in eo fieri potest ut fallar.

*Unde ergo nascuntur errores mei? nempe ea hoc uno quod cum latius pateat voluntas quam intellectus illam non intra eosdem limites contineo, sed etiam ad illa quae non intelligo extendo; ad quae cum sit indifferens facile a vero et bono deflectit, atque ita fallor et pecco <sup>1)</sup>.* Cum quid verum sit non satis clare et distincte percipio, si quidem a iudicio ferendo abstineam, clarum est me recte agere et non falli; sed si vel affirmem vel negem, tunc arbitrii libertate non recte utor; atque si in eam partem quae falsa est me converto plane fallor; sin vero alteram amplector, casu quidem incido in veritatem sed non ideo culpa carebo, quia lumine naturali manifestum est perceptionem intellectus praecedere semper debere voluntatis determinationem. Et nulla alia errorum causa potest esse; nam quoties voluntatem in iudiciis ferendis ita contineo ut ad ea tantum se exten-

---

1) Omnis peccans est ignorans, uti Cartesius assert. Epist. T. I, pg. 371.



dat quae illi clare et distincte ab intellectu exhibentur, fieri plane non potest ut errem, quia omnis clara et distincta perceptio procul dubio est aliquid, ac proinde a nihilo esse non potest, sed necessario Deum autorem habet, Deum illum summe potentem, quem fallacem esse repugnat; ideoque procul dubio est vera.

Videndum est an aliquid certi de rebus materialibus haberi possit? Invenio apud me innumeras ideas quarundam rerum, quae etiamsi extra me fortasse nullibi existant non tamen dici possunt nihil esse; et quamvis a me quodammodo ad arbitrium cogitentur, non tamen a me finguntur sed suas habent veras immutabilesque naturas<sup>1)</sup>; earum proprietates omnes sunt verae quandoquidem a me clare cognoscuntur, ideoque aliquid sunt, non merum nihil. Jam vero si ex eo solo quod alienius rei ideam possum ex cogitatione mea depromere, sequitur ea omnia quae ad illam rem pertinere clare et distincte percipio, revera ad illam pertinere, numquid inde haberi etiam potest argumentum quo Dei existentia probetur? Certe ejus ideam nempe entis summe perfecti non minus apud me invenio quam ideam cujusvis figurae aut numeri, nec minus clare et distincte intelligo ad ejus naturam pertinere ut semper existat quam id quod de aliqua figura aut numero demonstro ad ejus figurae aut numeri naturam etiam pertinere: ac proinde Deus est. Et quamvis non necesse sit ut incidam unquam in ullam de Deo cogitationem, quoties tamen de ente primo et

---

1) Nonne sphingis natura dici potest vera immutabilisque? Itaque non intelligo quid probare se existimet Cartesius statuens aliquid „non fingi, ad arbitrium cogitari et firmam naturam habere“.

summo libet cogitare, atque ejus ideam tanquam ex mentis meae thesauro depromere, necesse est ut illi omnes perfectiones attribuam, etsi nec omnes tunc enumerem, nec ad singulas attendam; quae necessitas plane sufficit ut postea, cum animadverto existentiam esse perfectionem, *recte concludam ens primum et summum existere.*

Postquam percepi Deum esse, quia simul etiam intellexi cactera omnia ab eo pendere, illumque non esse fallacem; atque inde collegi illa omnia quae clare et distincte percipio necessario esse vera, etiamsi non attendam amplius ad rationes propter quas istud verum esse judicavi, modo tantum recorder me clare et distincte perspexisse, nulla ratio contraria afferri potest quae me ad dubitandum impellat, sed veram et certam de hoc habeo scientiam.

Atque ita plane video omnis scientiae certitudinem et veritatem ab una veri Dei cognitione pendere, adeo ut priusquam illum nossem nihil de ulla alia re perfecte scire potuerim.

Reliquum est ut examinem an res materiales existant. Quoniam scio omnia quae clare et distincte intelligo talia a Deo fieri posse qualia illa intelligo, satis est quod possum unam rem absque altera clare et distincte intelligere, ut certus sim unam ab altera esse diversam, quia potest saltem a Deo scorsim poni. Et quia ex una parte claram et distinctam habeo ideam mei ipsius quatenus sum tantum res cogitans<sup>1)</sup>, non extensa, et ex alia parte distinctam ideam corporis quatenus est tantum

---

1) Rei cogitantis ideam claram appellare non ausim.



res extensa, non cogitans, certum est me a corpore meo revera esse distinctum et absque illo posse existere. Jam experior in me aliquas facultates <sup>1)</sup> quae absque aliqua substantia cui insunt non possunt intelligi nec proinde absque illa existere; manifesto sunt quae indigeant substantia corporea. Facultas sentiendi, quae in me est, facultas est passiva et plane inutilis nisi sit aliqua vis activa perceptiones efficiendi. Haec facultas non est in homine cogitanti; ergo in Deo? Ille non est fallax et videtur mihi indidisse opinionem perceptiones a rebus externis provenire. Ergo *a rebus externis proveniunt quas esse demonstratum est.*

Quales sunt res externae? Experientia docet iudicium per sensum saepius falsum esse. Ergo sensibus non est fides habenda. Sed quoniam Deus non est fallax et natura ductus existimo ideas esse rerum imagines, magna est spes fore ut veritatis agnoscendae facultas mihi insit.

Primo docet natura me habere corpus in quo sensus doloris voluptatisque percipiam; dein me inter alia versari corpora quae sint vel fugienda vel prosequenda. Sed non licet sensuum perceptionibus, quae proprie tantum a natura datae sunt ad menti significandum quaenam composito (h. e. homini), cujus pars est, commoda sint vel incommoda, et eatenus sunt satis clarae et distinctae, uti tanquam regulis certis ad immediate dignoscendum quaenam sit corporum extra nospositorum essentiade qua nihil nisi valde obscure et confuso significant. At cum sciam omnes sensus circa ea quae ad corporis commodum

---

1) Puta facultates imaginandi, sentiendi, locum mutandi, varias figuras induendi, reliq.

spectent multo frequentius verum indicare quam falsum possimque uti fere semper pluribus ex iis ad eandem rem examinandam et insuper memoria, quae praesentia cum praecedentibus connectit, et intellecta qui jam omnes errandi causas perspicit; non amplius vereri debeo ne illa quae mihi quotidie a sensibus exhibeantur sint falsa, sed hyperbolicae dubitationes ut risu dignae sunt explodendae; praesertim summas illas de somno, quem a vigilia non distinguebam; nunc enim adverto permagnum inter utrumque esse discrimen in eo quod nunquam insomnia cum reliquis omnibus actionibus vitae a memoria jungantur ut ea quae vigilantibus occurrunt; nam sane si quis dum vigilo mihi derepente appareret, statimque postea dispareret, ut fit in somnis, ita scilicet ut nec unde venisset nec quo abiret viderem, non immerito spectrum potius aut phantasma in cerebro meo effectum quam verum hominem esse judicarem. Cum vero eae res occurrunt quas distincte *unde, ubi et quando* mihi adveniant adverto, earumque perceptionem absque ulla interruptione cum tota reliqua vita connecto plane certus sum eas non in somnis sed vigilantibus occurrere. *Nec de ipsarum veritate vel minimum debeo dubitare si postquam omnes sensus, memoriam, et intellectum ad illas examinandas convocavi, nihil mihi quod cum ceteris pugnet ab ullo ex his nuntietur.*

Cognita ratione qua veritatem invenisse sibi visus est Cartesius, jam perpendendum nobis est quo jure suae methodo fidem habuerit.

---



## DE CARTESIANAE METHODI VI ET PRETIO.

---

Omnis verae scientiae initium est dubitatio. Jam a prima juventute ediscuntur cognitiones quarum rationes latent, et si quis firmam quaerit scientiam, semel in vita de omnibus dubitabit. Haec erat Cartesii sententia quacum reversus ad studia taedio intermissa, novam philosophiae accendit lucem.

„Animadverterat quam multa ineunte aetate falsa pro veris admisisset et quam dubia essent quaecunque his postea superstruxerat # 1). „ Infixa ejus menti haerebat vetus opinio, Deum esse qui omnia posset, a cujus quum bonitate repugnet talem hominem creasse ut semper fallatur, etiam alienum ab eo videri permittere ut interdum fallatur; quod tamen dici non potest # 2). „ Idco semel in vita de iis omnibus dubitare studet in quibus vel minimam incertitudinis suspicionem reperiat # 3). Dubitare est incertum esse de iudicii veri-

---

1) Med. pg. 5.

2) Ibid. pg. 7.

3) Princ., pg. 1.

tate; dubitatur igitur de judiciis et quidem de iis quorum veritas non perspicitur. Hoc bene tenendum videtur, ubi interpretes audimus Cartesium accusantes neglecti principii. Fatetur Cartesius „nihil esse, ex iis quae olim vera putasset, de quo non liceret dubitare“<sup>1)</sup>.

Hic sane non est studiorum finis; quaeritur verum; itaque quidquid non omnino verum est negatur, ut tanto clarius quid certissimum et cognitu facillimum sit inveniatur. „Veluti pictor rectius tabulam postquam omnes in ea lineas delevisset de novo plane exordiretur quam tempus iis corrigendis tereret, ita omnes homines simulac ad illam actatem qua intellectus vigere incipit pervenerunt, semel constituent ex imaginatione omnes illas imperfectas ideas delere, quae ad id usque tempus ei inscriptae sunt“<sup>2)</sup>. Idearum voce etiam hic judicia intelliguntur; simplicissimae enim notiones numquam possunt negari nisi omnem tollas cogitationem.

Naturae simplices omnes per se verae sunt et numquam ullum errorem continent; at reliqua de quibus omnibus aliquo modo dubitari potest, facile rejiciuntur. Videmus Cartesium ex dubitatione venisse ad negationem. Rejiciuntur omnia incerta judicia; estne hoc verum?

Negatur ab Erdmanno, contendenti Protestantismi principium (sc. dubitationem absolutam) numquam esse posse prioris alicujus periodi systematis principium<sup>3)</sup>.

---

1) Med. pg. 7.

2) Inq. verit. pg. 74.

3) Notum est opinione Hegelianorum omne principium debere poni, negari et probari: hac lege dialectica historia explicatur.



Quod si esset, prius periodi systema etiam finem statueret, quod historiae logi est contrarium. Nihil enim ad rem pertinet si systematis alicujus auctor sibi persuasum habeat periodi principium etiam sui systematis principium esse. Hac persuasione principii veritas tantum significatur. Sed cum systematis principium esse nequeat et hoc tamen systemate contineri debeat, per se patet principium esse ponendum quod divulgum sit a systemate. Praeterea dicendum est principii veritatem probandam esse et probatum iri. Ut rem paucis contraham; totius periodi principium priori systemati adesse debet ut postulatum; postulatum enim est veritas, quae ut veritas sit, adhuc fieri debeat<sup>1)</sup>. Alio loco legimus in systemate Cartesii postulato non esse satisfactum. Hoc inde patebit:

1<sup>o</sup>. Quod Cartesius omne id de quo dubitaverit pro aliquo positivo habeat, omnia diruat ut postea restituat, et numquam obliviscatur cognitionem rejectam, quum explorata sit, receptum iri et

2<sup>o</sup>. quod Cartesius ipse animadversionis veritatem testetur. Dicit enim dubitationem tolli cum ratione

---

1) ERDMANN, l. l. pg. 141. Ne quis dictionis obscuritatem interpreti tribuat, legat ipsius Erdmanni verba: Wenn das Grundprincip des Protestantismus nicht Princip dieses der Zeit nach ersten Systems seyn kann, deunoch aber in diesem Systeme enthalten seyn muss, und zwar mit der subjektiven Voraussetzung des Philosophen, es sey die Wahrheit, ohne dass er doch im Stande ist, es als solche zu erweisen, so ist es offenbar dass es aufgestellt werden muss isolirt dastehend. Et postea: Das Grundprincip der ganzen Periode muss in dem sie beginnenden Systeme erscheinen als isolirt dastehendes Postulat. Denn ein Postulat ist eine Wahrheit die um Wahrheit zu seyn erst realisirt werden muss.

dubitandi (Princ. I. 30). Ergo dubitatio tantum in systematis principio vim habet, toti vero systemati non imperat. Quod non efficit dialectica explicatio dubitationis absolutae. Ita enim res negatae ut inveniebantur non reciperentur, sed omnes a dubitatione ponerentur i. e. negarentur et denuo crearentur. Hoc vero in Cartesii systemate non fit. Relicta enim dubitatione omnia de quibus dubitaverat rursus recipit qualia invenit <sup>1)</sup>.

Pro parte vera narrare, pro parte errare videtur Erdmann. Quae dicit de necessaria systematis nota, nisi Cartesium bene cognovisset, hujus systematis vestigia a priori numquam invenisset. Et si ponit dubitationem Cartesii nihil esse *posse* nisi postulatum, huic iudicio assentiri nos non possumus. Concedimus quidem Cartesii dubitationem non esse absolutam, sed non ob rationes ab Erdmanno prolatas. Contra, quamdiu dubitationi locus esse videtur, omnia negantur et nihil pro positivo habere studet Cartesius. Verba ab Erdmanno allata nobis non probant Cartesium ab initio dubitationem neglexisse, sed eum ob rationes quae ipsi firmissimae esse viderentur sibi jus vindicasse dubitationem relinquendi. Dubitatur quamdiu dubitandi est causa, ac causa sublata tollitur effectus. Alia quaestio manet num rationes quibus dubitatio tollatur validae sint.

Ritter dubitationem Cartesii comparat cum igni picto et censet philosophum immensa dubia a quibus proficisci sibi videretur intra certos fines continuisse; nihil enim dubitat de luminis naturalis

1) ERDMANN, l. l. pg. 269.



principiis <sup>1)</sup>. Dubitari potest tantum de judiciis, quorum si nulla sunt quae lumine naturali cognoscantur, non est cur de his dubitetur.

Itaque duo Cartesio sunt probanda: et se non relinquere negationem antequam dubitandi rationes solutae sint et nulla esse luminis naturalis judicia incerta.

Prius facillimum est: de omnibus dubitatur; conscientia vero dubia esse non potest; inde efficitur veritatis nota; hac ducimur ad cognitionem Dei numquam fallentis; dubitatio igitur tolli potest. Haec argumenta nobis infirmissima videri possunt, at hoc nihil ad rem pertinet. Cartesius de suo intellectu dubitationem pepulit; rationes, quare dubitandi esset locus solutae sunt et dubitatio cohaeret cum systemate, quia ejus principium *cogito, ergo sum* ex absoluta dubitatione ortum est.

Ritteri objectio non est perspicua; luminis naturalis principia aut nulla sunt aut non dubia.

Quodsi Ritter significat Cartesium in suis argumentis usum esse pluribus opinionibus quas luminis naturalis veritates habeat, non vero tales probet, lubens concedo. Si vero censet de omnibus judiciis cujuscunque generis dubitandum fuisse, cum egregio historico facere non possum, neque Cartesii dubitationem flammis pictis aequiparare ausim; sunt certa axiomata de quibus dubitari non possit quia notiones jure conjunctas continent. Et, ut mox videbimus, prima veritas in Cartesii systemate, ex qua omnes reliquae deducendae sunt, est dubitationis fructus, non tabulae pictae margo.

---

1) RITTER, l. l. pg. 28.

Dubitatio fit negatio. Cartesius omnia falsa statuit. Sed „unum est quod a sese jungere nequit, quod se esse certo scit et quod pro certo affirmare potest nihil ne fallatur metuens, se esse rem cogitantem.“ Omnes cognitiones rejiciuntur; mundus, deus, corpus nihil esse putantur, sed sui ipsius conscientiam nemo delere potest. Homo cogitat; hujus rei conscius est; est igitur, — et unum verum judicium quod alta voce pronuntiare audet Cartesius est SUM. „Omnia illa rejicientes de quibus aliquo modo dubitare possumus, falsa etiam fingentes, facile quidem supponimus nullum esse Deum, nullum coelum, nulla corpora, neque nos manus habere, nec pedes, nec denique ullum corpus, non autem ideo nos qui talia cogitemus nihil esse; repugnat enim ut putemus id quod cogitet eo ipso tempore quo cogitet non existere“<sup>1)</sup>.

„Ac proinde haec cognitio, *ego cogito, ergo sum* est omnium prima et certissima quae cuilibet ordine philosophanti occurrit. Et quoniam videmus veritatem hujus pronuntiati *ego cogito, ergo sum*, adeo certam esse atque evidentem ut nulla tam *enormis* dubitandi causa a scepticis fingi possit a qua illa non eximatur, credimus nos illam tuto ut primum ejus quae quaeritur philosophiae fundamentum admittere“<sup>2)</sup>.

*Cogito, ergo sum.* Omnes omnino notiones rejiciens hanc veritatem invenit philosophus. Effatum nihil significare potest nisi *Ego sum*. Quod bene tenendum est, ne propositionis vim ignoremus et forma syllogistica

---

1) Princ. pg. 1.

2) De Meth. pg. 21.



decepti ejus veritatem negemus. Jam inter Cartesii aequales fuerunt qui notissimum effatum syllogismi conclusionem haberent, et licet fortasse Cartesius hic illic adversariis nimium concesserit, sententiam suam tam clare proposuit ut jure miremur quod etiam Ritter simplicissimam veritatem prioribus propositionibus niti censeat.

Cogitantes conscii nostri sumus; utraque notio una est et non potest divelli, aut, ut verbis Victoris Cousin utar: cogitationis certitudo non praecedit existentiae certitudinem; haec illam continet involvitque; ambae persuasiones sunt aequales in unam eandemque primariam certitudinem convenientes <sup>1)</sup>.

Quod non intellexisse videtur Ritter.

Hic censet, ipsum Cartesium contestatus, principium cognitum postulare et multas notiones et aliud principium, nempe cogitationem ponere existentiam, vel absurdum esse putare id quod cogitat eo ipso tempore quo cogitet non existere; hoc quoque principium alio niti, nempe nihilo nullas esse qualitates et, si qualitates cognosci possint, earum substantiam necessario adesse debere. Unde efficitur Cartesium non posse dici dubitavisse donec simplicissimam invenisset veritatem <sup>2)</sup>.

Philosophus „ ubi dixit hanc propositionem *ego cogito, ergo sum* esse omnium primam et certissimam, non ideo negavit ante eam scire oportere quid sit cogitatio, quid certitudo; item fieri non posse ut id quod cogitet non existat et talia; sed haec sunt simplicissimae notiones et quae nullius rei existentis notitiam praebent“. Dubitatio

1) VICTOR COUSIN, Cours de l'Histoire de la Philosophie Moderne. T. I pg. 33.

2) RITTER, l. l. pg. 28.

non excludit simplicissimas notiones; judicia tantum negantur. Omnes, quas statuerit propositiones, simplicissimas esse notiones probare neque potuit neque vere voluit Cartesius. Adversariis nimium concedens ipse sibi inutiles difficultates peperit. Cartesii principium nullo *judiciorum* auxilio ortum est. Simulac homo cogitat, se esse novit habetque sui ipsius notionem; sentit se ipsum et huic experientiae formam ratiocinii induit propositione *cogito, ergo sum*, ut utriusque notionis conjunctio pateat. Cum cogitantes de omni existentia dubitamus, dubitantes eam negamus, negantes tollimus, una verissima existentia superest in cogitatione; cogitatio est; cogitatio mea est, itaque cogitantem esse mea est natura, et cogitationis certitudine de me ipso certus sum<sup>1)</sup>. Haec est iudice Canone Fischer notissimi enuntiati sensus. Cogitatio docet hominem suam ipsius existentiam, quae scientia indiget priori nulla veritate; optime igitur de omnibus se dubitare dicit Cartesius, et fallitur Ritter qui philosophi dubitationem non sinceram habet.

Non absurdum videtur monere hanc primariam Cartesii scientiam, licet omnibus sublatis ideis acquiratur, sine experientia non potuisse inveniri. Experientia quam multa falsa sint comperiens dubitare docuit et homo per sui ipsius experientiam habet primariam veritatem, qua inventa magna sperare audet Cartesius.

„Ut Archimedes nihil nisi punctum petebat quod esset firmum et immobile ut totam terram loco moveret, ita Cartesius omnia quoque sperat, si vel minimum quid invenerit quod certum sit et inconcussum“<sup>2)</sup>. Nam „hoc

1) FISCHER l. l. pg. 111.

2) De Meth. pg. 9.



sibi persuaserat omnes veritates ita cohaerere ut ab una primaria reliquae omnes derivari possint. Cognitiones quae ingenii humani captum non superant omnes vinculo tam mirabili connexae sunt et unae ex aliis tam necessario consequentiis deduci possunt, ut non magna industria et dexteritate opus sit ad eas inveniendas, modo a simplicissimis incipientes per gradus ad maxime sublimes procedere noverimus # 1). Quod methodi suae amore deceptus posuit, id non probavit Cartesius. In geometricis, sunt verba Ciceronis, priora si data sunt, reliqua sunt danda. At omnes disciplinae non sunt geometricae, et certe graviores cur methodum hanc sequaris requiruntur rationes, quam opinio „longas illas valde simplicium et facilium rationum catenas, quarum ope geometricae ad rerum difficillimarum demonstrationem ducantur ansam dare existimandi ea omnia quae in hominum cognitionem cadunt, eodem pacto se mutuo sequi # 2).

Videamus quomodo a prima veritate progrediatur Cartesius. *Cogito, ergo sum* est iudicium omnium certissimum; facile ergo credideris certitudinis notam non posse latere.

Quaenam est haec nota? Omnes ideae possunt negari, una tantum excipitur; idea quae non esse non potest, debet esse; quaevis igitur idea quae debet esse verissima est dicenda. Quomodo novimus ideam esse debere? Si non potest negari. At vidimus negari posse omnes hac una excepta. Ista deductione nos in

---

1) Inq. verit. pg. 68.

2) De Meth. pg. 12.

orbem ferri nemo non videt, et tamen aliud quid deduci nequit si veritatem inventam bene intelligimus. Cartesius meliore fortuna uti sibi videtur.

Quaerit numquid requiratur ut de aliqua re sit certus, et videt in prima sua cognitione nihil aliud esse quam claram et distinctam perceptionem ejus quod affirmat. Haec perceptio non sufficeret si unquam posset decipere: sufficit in primo judicio; ergo numquam decipit, et *omne id quod clare et distincte percipitur verum est*. Quomodo vero probetur claram et distinctam perceptionem sufficere ut certus sim me esse cogitantem, non video. Haec veritas est conscientiae enuntiata, a quo perceptio distincta longe differt.

Practerea definitio mutilata videtur. Cognitio certa est clara et distincta perceptio ejus quod affirmatur i. e. esse dicitur; certus sum de re quam esse clare et distincte percipio; vera est res quam esse clare et distincte percipio, et omne id quod *esse clare et distincte percipitur verum est*. Quare Cartesius hanc unam voculam omittit? Clara et distincta perceptio invenit notiones; quaeritur autem notionum ad res relatio et inventa veritatis definitio nihil prodest nisi per hanc res cognoscantur. Itaque ideae cum rebus ipsis confunduntur ut clara idearum perceptio aliquid de rebus doceat. Id quod clare et distincte percipiatur esse, verum esse nemo negat; at ostendendum est qua ratione aliquid vere esse percipiatur. Quod neque Cartesius neque posteriores dialectici potuerunt.

Alia difficultas definitioni propositae inest. Clara et distincta perceptio requiritur. Cartesius ipse fatetur „ difficultatem esse nonnullam ad recte advertendum



quidnam sit quod distincte percipimus " 1). „Clara vocatur perceptio quae menti attendenti praesens et aperta est; sicut ea clare a nobis videri dicimus quae oculo intuitu praesentia, satis graviter et aperte illum movent. Distincta autem illa, quae cum clara sit ab omnibus aliis ita sejuncta est et praecisa ut nihil plane aliud quam quod clarum est in se contineat " 2). Quod cum ita sit, non video quomodo perceptio clara esse possit nec tamen distincta. Haec enim est clara perceptio quae nihil aliud quam quod clarum sit in se continet. Perceptio clara nihil aliud quam quod clarum sit continere potest. Ergo perceptio clara nihil differt a perceptione distincta.

Quaestio est de judiciis; notiones enim semper verae sunt; jam dicitur iudicium verum quod menti attendenti et *praesens* et *apertum*, et *ab omnibus aliis sejunctum* est. Si iudico esse daemones, hoc iudicium certe praesens, apertum et ab aliis sejunctum dici potest; nec tamen esse credo qui *hanc* ob causam ullum genium reformidet. Clara et distincta perceptio non sufficit.

Denique animadvertendum veritatem esse unam eandemque; requiri ergo notam communem quae sit argumentorum fundamentum. Quod verum est omnibus est verum, sed cognitio quae nititur distincta evidentia non omnibus patet.

Nullum est pignus quaesitae evidentiae, et contrariae opiniones pari jure veritatis nomine gloriari possunt. Audivimus quidem recentiores docentes plures veritatis

---

1) De Meth. pg. 21.

2) Princ. pg. 12.

gradus esse singulisque jus suum esse tribuendum, sed Cartesio iudice veritas consistit in esse <sup>1)</sup>; ergo cognitio est vera aut falsa, non mutatur temporibus.

Sed veritatis nota Cartesiana fortasse alio sensu est sumenda. Cogito, ergo sum: igitur omne id quod clare et distincte cogitatur, verum est. Opinari potest Cartesius omne id quod in notione clare et distincte inveniatur rei esse tribuendum, omne attributum sine quo subjectum cogitari nequeat, subjecto jure tribui. Quod si sibi voluerit Cartesius, non intelligo vim clarae et distinctae perceptionis, sicuti Cartesius illam definiuit. Praeterea, — clare et distincte percipio in notione arboris inveniri radicum notionem et non dubito affirmare arborem habere radices. Sed quare? Quoniam bene intelligo arboris notionem rite esse compositam, et me arboris notionem quaerentem radicum notionem invenisse. Sed illas notiones, si sejunctae in mente invenirentur temere conjungerem; clara evidentia non inhaeret notionibus, sed oritur e persuasione notiones rite esse factas. Omnes ideae sunt syntheticae, quamquam multa consuetudine menti ita inhaerent ut in iudiciis analyticis hujus syntheseos fere obliviscamur. Iudicii analytici nulla esse potest clara evidentia nisi de recta synthesisi persuasum sit intellectui. Cogito, ergo sum, non est iudicium analyticum; nihil enim aliud significat nisi „consciis sum.“ Itaque ex ista propositione clara evidentia analyticorum iudiciorum pro veritatis nota non potest derivari.

Cogito, ergo sum. „Fallat me deceptor summe potens,

---

1) Epist. T. I. pg. 382.



summe callidus quantum potest, nunquam tamen efficit ut nihil sim quamdiu me aliquid esse cogito; haud dubie ergo sum si me fallit # 1). Inde percipisse Cartesius sibi videtur quid sit verum, sed negare non potest distinctam idearum evidentiam non defendere ab omnipotentis deceptoris calliditate. Ideo quamprimum explorare debet num sit Deus, et, si sit, num possit esse deceptor; hac enim re incognita, non videtur de ulla alia plane certus esse unquam posse.

Antequam attendimus argumenta quibus Deum esse probari creditur, inquirendum videtur quo jure affirmet nonnulli Cartesium, nisi ratiocinii circulo usus esset, doctrinae suae fundamentum jacere non potuisse. Contendunt enim eum Dei existentiam probasse, statuentem omne id quod clare et distincte percipiatur verum esse et dein professum esse hanc veritatis notam nihili esse nisi Deum esse constet. Quum ipsa Cartesii defensio minus placeat hujus partes agere conatur Erdmann. De utroque sigillatim.

Cartesius distinguit „ id quod reapse clare perspicimus ab eo quod recordamur nos antea clare percipisse. Primum enim nobis constat Deum esse quoniam ad rationes quae id probant attendimus; postea vero sufficit ut recordemur nos aliquam rem clare percipisse ut eam veram esse certo sciamus, quod non sufficeret, nisi Deum esse eumque non fallere sciremus. 2) „ Contendit igitur Cartesium persuasionem de Deo existenti tantummodo postulare ut fidem habere possit judiciis quae

---

1) Med. pg. 9.

2) Obj. pg. 134.

ante clare et distincte percepisse se recordetur; nam quum dicat nihil nos certo posse scire priusquam Deum existere cognoverimus, opinatur se verbis expressis affirmare se non loqui nisi de scientia earum conclusionum quarum memoria possit recurrere, cum non amplius attendamus ad rationes e quibus ipsas deduxerimus <sup>1)</sup>. Sed nulla quaestio est de recordatione, agitur de Dei existentiae veritate. Constat Deum esse quoniam ad rationes quibus id probatur attendimus. At rationes verae sunt quia clare et distincte percipiuntur. Quod non negatur a Cartesio. „ Simul atque aliquid a nobis recte percipi putamus, sponte nobis persuademus illud esse verum <sup>2)</sup> “. Unde hoc habet?

A natura sua, ut credit. „ Sed quoties praeconcepta de summa Dei potentia opinio occurrit, non potest non fateri si quidem velit facile illi esse efficere ut erret etiam in iis quae se putet mentis oculis quam evidentissime intueri <sup>3)</sup>. Ergo quamdiu metus est ne ab omnipotente deceptore fallamur, nulla est fides naturae hominis. Si nulla hujus naturae est fides, veritatis nota nihili est; rejecta hac nota corruunt rationes quibus Deum esse probatur, et Cartesius nullo modo potest probare Deum non deceptorem esse nisi probarit nullum esse deceptorem Deum. Videat ut circulum effugiat.

Si Deus fallax non est, sufficit recordatio aliquid clare et distincte perceptum esse ut iudicium sit certum.

---

1) Med. pg. 34 et 35.

2) Obj. pg. 76.

3) Med. pg. 16.



Ea quae clare percipiuntur certa sunt per se, sed ea quae clare percepta esse recordor incerta esse possunt. Deus enim me fallere potest. Quid hoc sibi vult? Omnipotens potest efficere ut vera habeam ea quae non sunt vera. Itaque nascitur metus ne fallar vera habens ea quae recorder me clare et distincte percepisse i. e. certa fuisse. Recte intelligo quid sit memoria fallax, sed quomodo fieri possit ut certum iudicium memoria justa tenacique fiat incertum nullo modo assequi possum. Recordatio praesens reddit id quod fuit; fuit iudicium certum, ergo recordatio praesens reddit iudicium certum. Eritne incertum? Dei notio non requiritur, inutilis est; et frustra Cartesius ad recordationem confugit quando explicare vult quid sibi velit dicendo „omnia illa quae clare et distincte concipiamus vera esse, non aliam ob causam certa esse quam quod Deus existat“<sup>1)</sup>.

Siquidem Cartesius ipse causam obtinuisse non videtur, audiamus ejus patronum Erdmann. Hic censet duas rationes litem solvere. Accusatur Cartesius quod circulum committat cum per conscientiam Deum esse probet et dein omnem certitudinem a Deo pendere dicat. Bene distinguendum esse monet Erdmann. Id quod per se verum est differt ab eo quod propter rationes allatas (mediate) verum est. Hominis existentia est homini unica veritas immediata; omnia reliqua sunt vera ubi dubitatio est soluta; — pendent igitur ab eo quod dubitationem solvit. Deus liberat dubitationibus; is omnis veritatis est principium.

Et — quod altero loco monet Erdmann, — si ex

---

1) De Meth. pg. 24.

eo quod Deus omnis veritatis est fons, concluditur sui conscientiam homini certam esse non posse nisi per Deum, nimium probatur, ergo nihil. Deus enim qui hominem creavit eique conscientiam sui indidit, certe hujus conscientiae auctor est dicendus, sed tantum *existentiae* hujus notionis, non vero ejus *certitudinis* est principium <sup>1)</sup>. Videt unusquisque Joannem Erdmann causam subterfugere.

Confunduntur enim conscientiae et evidentiae notiones. Conscientia tantum se ipsam fatetur; antequam Deum non fallacem existere probatum est, pluribus conscientiae effatis fides haberi nequit. Quomodo Cartesius e sui conscientia pervenit ad Deum non deceptorem? Auxilio doctrinae qua omne id quod clare et distincte percipitur verum esse creditur; hanc vero doctrinam non valere quamdiu Deum ignoremus, ipse fatetur philosophus. Itaque conscientiae certitudo firmissima est, sed evidentiae vis metu Dei infringi potest. Erdmannu probasse non videtur persuasionem de Deo existenti clara evidentia niti posse, ideoque certissimum esse, neque Cartesium liberavit crimine commissi circuli.

Quamquam philosophiae vanitas jam apparuit, non licet tamen omittere argumenta quibus Deum esse probetur. Deus est Cartesio omnis scientiae fons: hujus ergo existentia debet esse certissima, ne scientia fiat arida.

Tria argumenta conscripta videmus. Cartesius censet duas esse tantum vias per quas probari possit Deum esse, unam per effectus, alteram per ipsam essentiam sive naturam <sup>2)</sup>. Alio quidem loco putat „conside-

1) ERDMANN. 1. 1. pg. 300.

1) Obj. pg. 62.



rationem causae efficientis esse primum et praecipuum medium vel unicum quod habeamus ad existentiam Dei probandam omnibus esse manifestum " 1). Sed alterum illud quod de natura derivatur argumentum tam acriter defendit ut de ipsius vi nunquam dubitasse videatur. Ordine singula exponemus, quorum unius vis posita est in eo quod idea Dei Deum ipsum auctorem exigit; — alterius in eo quod homo notionem habens entis summe perfecti Deum ipsum parentem postulat; — tertii in eo quod idea entis summe perfecti hujus existentia continetur.

Ab hoc quod nomine argumenti ontologici omnibus est notum, et in Cartesii Principiis Philosophiae 2) priore legitur loco, enarrationem exordimur.

Fatetur Cartesius se in dissertatione de Methodo nimis fuisse obscurum in iis quae de Dei existentia scripserit 3), sed in Meditationibus et imprimis in Responsionibus ad objectiones ait omne quod praestare potuerit contineri 4). Videamus.

" Si ex eo solo quod alicujus rei ideam possim ex cogitatione mea depromere 5), sequitur ea omnia quae ad illam rem pertinere clare et distincte percipio, revera ad eam pertinere, numquid inde deduci potest argumentum quo Dei existentia probetur? Certe ejus ideam,

1) Obj. pg. 130.

2) Princ. pg. 4.

3) Epist. T. I. pg. 365.

4) Ep. ad Fac. Par. pg. 3.

5) Propositionem cogito ergo sum mutatam videmus in hanc: possum ideam alicujus rei ex cogitatione mea depromere. Cur? Certe, ne vocis conscientiae sensus philosophum impediatur.

entis summe perfecti dico, non minus in me inuenio quam ideam cuiusvis figurae, nec minus clare et distincte intelligo ad ejus naturam pertinere ut semper existat, quam id quod de aliqua figura aut numero demonstro ad ejus figurae aut numeri naturam etiam pertinere; ac proinde in eodem ad minimum certitudinis gradu esse deberet in me Dei existentia, in quo fuerunt hactenus mathematicae veritates # 1). Hoc argumentum non multum differre ab eo quod Thomas Aquinas proposuit improbavitque ipse Cartesius primarum objectionum scriptor opinatur 2). Thomae argumentum — Cartesius fatetur — manifesto vitio laborat quippe in quo ab intellectu nomine Dei concluditur non ut debuerat, *intelligi* Deum esse in re et intellectu, sed Deum *esse* in re et intellectu. Suum tamen argumentum diversum credit Cartesius. „Quod clare et distincte intelligimus pertinere ad alicujus rei veram et immutabilem naturam sive essentiam sive formam, id potest de ea re cum veritate affirmari; postquam satis accurate investigavimus quid sit Deus, clare et distincte intelligimus ad ejus veram et immutabilem naturam pertinere ut existat. Ergo tunc cum veritate possumus de Deo affirmare quod existat # 3).

Utraque praemissa propositio est probanda. Videamus de Minore: ad Dei veram et immutabilem naturam pertinet ut existat. Quare? In reliquis enim omnibus existentiam ab essentia distinguimus, et nondum per-

1) Med. pg. 32.

2) Obj. pg. 51.

3) Obj. pg. 60.



spicimus num forte Dei essentia sit mutabilis effictaque a nobis.

At, inquit philosophus, intelligimus Dei existentiam actualem necessario et semper cum reliquis Dei attributis esse conjunctum; et, — quum idea a nobis possit esse efficta si hanc dividere possimus, sicut ideam equi alati componere potuimus ex equi alarumque ideis —, idea Dei non est efficta a nobis quippe quae non composuimus ex Dei et existentiae notione, sed unam intelligamus. Certe, ex idea existentiae non composuimus notionem, quia existentiae notio per se nihil est. Num ideo Dei notio non esse potest ficta? Egregie Cartesium ponere potuerat nos intelligere ad Dei naturam pertinere existentiam; sed hoc idem per idem propositionis vim arguisset.

Intelligimus ad Dei veram et immutabilem naturam pertinere existentiam. En ratiocinii Minorem; sed illud quod ad naturam pertinet non intelligimus ante naturam intellectam, et naturam non intelligimus nisi ipsam esse noverimus. Cartesius prorsus injuria censet prius intelligi quid sit res quam esse rem. Fortasse prius intelligimus rei ideam quam rem esse, sed discrimen inter ideam et essentiam nullum esse probari debet antequam Minoris argumenti vis agnosci potest.

Unus ex Cartesii adversariis concesserat in omnium rerum ideis existentiam esse possibilem. Cartesius, alacri animo, quia cogitare non potest Dei existentiam esse possibilem, quin simul etiam ad immensam ejus potentiam attendens agnoscat illum propria sua vi posse existere, hinc efficit // ipsum revera existere atque ab aeterno exstitisse. Est enim lumine naturali notis-

simum id quod propria sua vi potest existere, semper existere. Atque ita intelligimus existentiam necessariam in idea entis summe potentis contineri " 1).

Possibilitas entis omnipotentis ponit possibilitatem entis quod *possit* per se existere. Num ideo ens omnipotens vere existit?

Praeterea, non potest intelligi quomodo entis omnipotentis existentia ab ipso ente omnipotente orta esse possit. Ens quod est, omnipotens esse potest, sed antequam existit, ejus omnipotentia nulla est.

Non defuerunt qui Cartesium in *conclusionione* syllogismi aberrare censuerint. Mersenni aliquis amicorum qui secundas objectiones scripserunt, annotavit e Cartesii syllogismo non sequi Deum revera existere, sed tantum illum existere debere, si illius natura sit possibilis; "hoc est, non potest concipi Dei natura seu essentia absque existentia adeo ut si sit revera sit" 2). Haec vero conclusio comparata cum Cartesii propositione probat philosophum syllogismi leges non observasse.

Cartesii conclusio indiget Majore hujus formae: Quod clare intelligimus pertinere ad alicujus rei naturam, id potest vere affirmari ad ejus naturam pertinere; qua sane propositione nihil nisi inutilis tautologia continetur.

Cartesius ait: quod clare intelligimus pertinere ad alicujus rei naturam, id potest de ea re cum veritate affirmari.

Minor est: pertinet ad naturam Dei quod existat;

---

1) Obj. pg. 62.

2) Obj. pg. 67.



itaque vere concluditur: ergo cum veritate de Deo affirmari potest quod existat. Distinguit igitur Cartesius rei naturam a re ipsa. Quo jure, latet; quo consilio, patet. Natura rei est junctura omnium rei proprietatum sive res ipsa, sed Cartesius utramque notionem distinguit, ut de Deo affirmet quod in Dei natura sive idea invenerat h. e. posuerat.

Etiam adversarii conclusio vitio laborat. Is concludit Deum tantum existere debere si illius natura sit possibilis seu non repugnet <sup>1)</sup>. Quod novas difficultates parit. Facile enim Cartesius probare sibi videtur Dei naturam non repugnare quippe in qua nihil supponat nisi quod clare et distincte perceperit <sup>2)</sup>; itaque objectionis vis infringitur quae valida mansisset nisi inania verba conclusionem unice veram perturbassent: nempe sequitur Deum revera existere si illius natura (i. e. ipse Deus) sit. Quid valeat hoc ratiocinium videant dialectici.

Omnium, qui tela sua in Cartesii argumenta miserunt, acerrimus fuit Gassendi, de quo vincendo se desperasse Cartesius ipse superbis responsis prodit.

Ut philosophus probet argumentum ontologicum eadem frui certitudine qua omnia geometricae argumenta gaudent, saepius ei placet asserere se non alia ratione ab idea trianguli concludere ad notissimam veritatem (trianguli anguli aequales sunt duobus rectis) atque in argumento ontologico a Dei essentia ad Dei existentiam concludat. Quae quam falsa sit opinio egregie docet Gassendi dicens:

---

1) Obj. pg. 67.

2) Obj. pg. 80.

Rite quidem comparas essentiam cum essentia aut proprietatem cum proprietate, verum deinde non comparas proprietatem cum proprietate. Hinc vel dicendum fuisse videtur, non posse magis separari omnipotentiam v. g. a Dei essentia quam ab essentia trianguli ejus existentiam. Sic enim bene processisset utraque comparatio, et non modo prior fuisset concessa, verum etiam posterior; quamquam non propterea evicisset Deum necessario existere quia neque triangulus necessario existit, tametsi illius essentia existentiaque separari re ipsa non valeant, quantumcunque mente separantur sive seorsim cogitentur: ut cogitari etiam essentia existentiaque divina possunt <sup>1)</sup>. Attendendum est sine ullo jure existentiam poni inter Dei proprietates, quae si esset proprietas pari ratione inter trianguli proprietates esset numeranda: sed non est talis. Si quidem id quod non existit neque perfectionem neque imperfectionem habet, (tunc certe) id quod existit non habet existentiam ut perfectionem singularem sed ut illud quo tam ipsum quam perfectiones existentes sunt <sup>2)</sup>. Quamobrem, ut enumerans perfectiones trianguli non recenset Cartesius existentiam neque proinde concludit existere triangulum, ita enumerans perfectiones Dei non debuerat in illis ponere existentiam ut concluderet Deum existere nisi principium petere vellet <sup>3)</sup>.

Num probat Cartesius existentiam in Deo esse proprietatem, in triangulo non? Frustra quaeras, nisi

---

1) Obj. V. et VII. pg. 41.

2) Obj. pg. 42.

3) Obj. pg. 42.



pro argumento habeas quod philosophus dicit, se non videre quare existentia non aequae proprietatis atque omnipotentia dici possit, sumendo nomen proprietatis pro quolibet attributo, sive pro omni eo quod de re potest praedicari. Attributa sunt ea „sine quibus res quarum sunt attributa, esse non possunt“ <sup>1)</sup> vel ea quae generalius substantiae inesse dicuntur. Proprietates (vel qualitates) sunt ea a quibus res denominari possunt. Facile sic nominis mutatio intelligitur, quamquam unicuique patet definitionem attributi sine quo res esse non possit (i. e. talis esse qualis esse dicitur) non convenire existentiae sed tantum iis sine quibus res non sunt distinctae a reliquis <sup>2)</sup>.

Quomodo intelligendum sit trianguli existentiam non debere conferri cum existentia Dei, quia manifeste (?) aliam habet relationem ad essentiam in Deo quam in triangulo, non video, nisi concedas, quod est probandum, in Deo existentiam et essentiam inseparabiles esse, in reliquis omnibus non ita. Petitionem principii a ratiocinio abesse facilius ponitur quam probatur. Et quod Gassendi contendit, diversam distinctionem inter existentiam et essentiam non perspicui ab eo qui quaerat quomodo Platonis existentia et Platonis essentia distinguantur inter se nisi cogitatione et non pari modo in Deo, id, libertate videlicet philosophica usus <sup>3)</sup>, non illustrat Cartesius. Sed spreto omni ratiocinio statuit eum falli qui probasse sibi videatur non demonstrari

---

1) Epist. T. I. pg. 375; et Princ. pg. 15.

2) Epist. T. I. pg. 116; ad Voet. pg. 32.

3) Resp. pg. 77.

existentiam de Deo sicut demonstretur trianguli angulos aequales esse duobus rectis. Quis acutissimum Gassendi admodum injuriam censeat si Cartesii responso offensus sit <sup>1)</sup>?

Videntes omnes objectiones tantum negando et ridendo improbari nil miramur quod argumentum ontologicum et eadem cum triangulo comparatio in Principiis Philosophiae occurrit. Vitia quae utrique praemissae propositioni inhaerent non vidit Cartesius quia non potuit distinguere rem objectivam ab rei notione. Vere enim dicit Cuno Fischer argumentum ontologicum tum demum valere si cogitare et esse idem esse constet.

Aliquid dicit qui contendat Dei notionem esse innatam; sed Cartesius sententiae quam profitetur ipse vim fregit. Ideas enim innatas dicens significat nos habere in nobis ipsis facultatem illas eliciendi <sup>2)</sup> hac quoque facultate omnes veritates geometricas cognosci <sup>3)</sup>.

Quod de una idea innata valet, id valet de omnibus, et Cartesius qui concedit trianguli essentiam nihil facere ad ejus existentiam, aliam non potest tueri sententiam de Deo. Ergo etiamsi Dei notio innata sit nondum Deum esse probavit philosophus. Ceterum quid valeant notiones innatae, non opus est ut exponam equidem <sup>4)</sup>.

Uno argumento non contentus alia offert Cartesius

---

1) Epist. T. II, pg. 211.

2) Obj. pg. 102.

3) Epist. ad Voet. pg. 73.

4) Cons. C. W. OPZOOMER. De weg der wetenschap. § 21.



quorum priore demonstrari dicit ideam summi entis non aliunde quam ab ipso ente summo ad nos pervenire potuisse. Ratiocinium huc redit.

Quo plus perfectionis objectivae in se continent ideae, eo perfectior ipsarum causa esse debet et tantam in entis summi idea immensitatem invenimus ut plane hinc simus certi non posse illam nobis fuisse inditam nisi a re in qua sit revera omnium perfectionum complementum, h. e., nisi a Deo realiter existenti <sup>1)</sup>.

Quid intelligitur ideae perfectione? Quid ideae causa? Per ideae causam significatur res cujus imaginem refert idea; sed de rebus nondum sermo esse potest. Novimus unice ideas; de his agitur. Oportet sane idearum causas perscrutari sed non licet causas externas admittere quamdiu homo tantum se ipsum novit.

Idae diversae sunt; aliae alias res repraesentant; aliae rem compositam, aliae simplicem referunt: quo magis compositae rei est idea, eo magis composita videtur idea; atque haec ideae compositio perfectio dici videtur. Sunt aliae ideae quae qualitates referunt et gradu differre dicuntur; itaque quo majore gradu eandem qualitatem idea profert, eo perfectior vocatur idea. Perfectio igitur non spectat ejus virtutem sed materiam.

Idae sunt adventitiae, effectivae et innatae. Adventitiae quae a rebus externis advenire creduntur hic non in censum veniunt. Unde noscuntur effectivae et innatae? Quaenam earum est vis? Hoc attendendum est, quia omnis argumenti vis est in eo quod idea postulare causam aequam dicitur. Si ponamus in idea repe-

---

1) De Meth. pg. 22. Med. pg. 19. Princ. pg. 5.

riri quod non fuerit in ejus causa, hoc haberet a nihilo: lumine naturali manifestum est aliquid non posse fieri a nihilo; ergo quod idea continetur, continetur quoque ideae causa. 1) Refert Erdmann 2) quomodo Spinoza illud luminis naturalis effatum a sui conscientia quae est unica philosopho vera notio, deducere conatus sit. Restituit igitur quod omisit Cartesius. Spinoza, si quis, inquit, dubitare velit an ex nihilo aliquid fiat, simul potest dubitare an nos quamdiu cogitamus simus; nam si de nihilo aliquid affirmare possum, nempe quod potest esse causa alicujus rei, potero simul eodem jure cogitationem de nihilo affirmare ac dicere me nihil esse quamdiu cogito.

Si ponimus aliquid esse a nihilo non ponimus nihil *esse causam*, aliquid efficere, aliquid *esse*, sed statuimus aliquid ejus esse naturae ut non egeat causa; si nihilo tribuatur conscientia, vocis *nihil* sensus perit, et nihil significat conclusio cogitantes esse posse *nihil*.

Audiamus jam dubitationes, quas contra Cartesii argumentum afferunt adversarii. Erat theologus qui ideae realitati objectivae postulari causam negaret quippe quae pura sit denominatio 3). Objective esse in intellectu significat „in intellectu eo modo esse quo solent ejus objecta, adeo ut idea solis sit sol ipse in intellectu existens objective hoc est eo modo quo objecta in intellectu esse solent“ 4). Modus quo objecta sunt

1) Med. pg. 19.

2) ERDMANN l. l. pg. 223.

3) Obj. pg. 48.

4) Obj. pg. 53.



in intellectu dicitur objectiva realitas, quae ergo non est ideae proprietas sed ipsius ideae aliud nomen. Artificii realitas objectiva est artificii idea.

Contendit Cartesius ideam indigere causa ut concipiatur. „Ita si quis habeat in intellectu ideam alicujus machinae summo artificio excogitatae merito profecto quaeri potest quaenam ejus ideae sit causa; neque satisfaciet si quis dicat illam extra intellectum nihil esse, nec proinde posse causari sed tantum concipi“ „neque etiam satisfaciet qui dicet intellectum ipsum esse ejus causam nempe ut suae operationis; de hac enim re non dubitatur, sed tantum de causa artificii objectivi quod in ea est. Nam quod haec idea machinae tale artificio objectivum contineat potius quam aliud, hoc profecto habere debet ab aliqua causa; estque idem respectu hujus artificii objectivum, quod respectu ideae Dei, realitas objectiva“ <sup>1)</sup>. Hisce non refutatur Theologi interpretatio vocis objectiva realitas et Dei objectiva realitas (quae est idea) comparatur cum artificio (quod est ideae causa); quod aperte falsum est.

Neque felicius est Cartesius ostensurus in nobis ipsis non reperiri sufficiens fundamentum „cui solum innixi naturae perfectioris ideam formare possimus, licet ens summum non existeret aut illud existere nesciremus, et nequidem de eo existente cogitarimus“ <sup>2)</sup>. Concedit sufficiens fundamentum reperiri, etiamsi de ente summo non cogitetur; statuit autem perfectioris ideam posse formari ingenii viribus, sed tantum quod innata sit sive indita a natura perfectiore <sup>3)</sup>.

1) Obj. pg. 54.

2) Obj. pg. 64.

3) Obj. pg. 70, vel.

Idea Dei postulat Deum causam. Sed si idea ista materialiter falsa erat, a nihilo esse poterat. Estne materialiter falsa? minime gentium, nihil in ipsa invenitur nisi quod clare et distincte percipitur (Utinam hanc sententiam probasset Cartesius!). Quartarum objectionum scriptor ostendit Cartesium immerito distinguere inter ideas veras et falsas. Ideae tanquam ideae omnes sunt verae, i. e. in philosopho inveniuntur; sed falsa sunt iudicia. Simulac Dei notio concipitur ut Dei existentis, purae notioni aliquid additur quo notio fit iudicium. Et hujus iudicii veritas est probanda. Omnia in eo clare et distincte intelliguntur; non nego, sed excipiat existens de qua disputatur. Num tutum est Cartesii refugium ad interpretationem idearum materialiter falsarum, quod tales sint ut iudicio materiam praebeant erroris? <sup>1)</sup> Quomodo probat Cartesius Dei notionem nunquam iudicio materiam erroris praebere?

Opportune Gassendi quaerit quomodo Cartesius, cum nondum constet sitne Deus, noverit Deum repraesentari per sui ideam, summum aeternum, infinitum, omnipotentem omnium creatorem. Nonne ex praeconcepta de Deo notitia quatenus audierit illa attributa de Deo enuntiari? <sup>2)</sup> Nihil illustratur quaestione undenam primi homines a quibus ista audiverimus, eandem Dei ideam habuerint, et si a se ipsis, quidni item nos eandem a nobis habere possimus? si vero a Deo revelanti, ergo Deum fatendum est existere <sup>3)</sup>. Certissime, si philosophiae

1) Obj. pg. 127.

2) Obj. pg. 20.

3) Resp. pg. 65.



argumenta perscrutamur, idea illa naturae perfectioris a nobis ipsis esse potest; auctorem Deum ipsum non postulat.

Homo de omnibus dubitat; gaudet una primaria veritate: has duas condiciones comparans posteriori majorem tribuit perfectionem, et perfectionis idca semel concepta, potest omnia sua attributa ampliora sibi informare. Qui novit se ipsum multum valere, phantasia potest duci ad fingendum ens quod omnia possit. Nullum Deo tribuitur attributum quod non amplificando aut negando homo de se ipso desumpserit.

Credimus dicta sufficere ad argumentum, quo ab ideae perfectione concluditur ad existentiam naturae perfectae, improbandum. Fortasse tertium argumentum quo et prius firmari volebat Cartesius plus valet. Sin autem rejiciendum esse apparuerit etiamsi clarae et distinctae sint ideae nostrae, „nulla nos ratio certos reddet illas idcirco esse veras“<sup>1)</sup>.

Cartesius lumen naturae effari putat „nullam rem existere de qua non liceat petere cur existat, sive in ejus causam efficientem inquirere aut si non habet, cur illa non indigeat postulare“<sup>2)</sup>. Contra luminis naturae axiomata non potest disputari, sed a consilio Cartesii non alienum fuisset si notionem causae explicuisset, praesertim cum illa notio argumenti sit fundamentum et concedatur per causarum (in sensibilibus) successionem „non alio posse deveniri quam ad imperfectionem intel-

---

1) De Meth. pg. 25.

2) Obj., pg. 56.

lectus " 1), numquam vero ad omnium primam causam agnoscendam quo pervenire studet philosophus.

Invenitur in mente notio Dei, entis summe perfecti. „Illa est quae dat occasionem examinandi an homo sit a se vel ab alio. Hoc una dijudicatur an possit esse a se ipso " 2). Quid enim continet idea Dei? notionem entis in quo hominis attributa perfecta sunt. Facile patet hominem si esset a se omnes perfectiones quarum idea aliqua in se sit sibi daturum fuisse. Longe enim difficilius fuisset se ipsum sive substantiam cogitantem ex nihilo proferre quam ea quae istius substantiae accidentia sunt acquirere; sin vero aliqua difficiliora factu essent, certe etiam difficiliora viderentur quoniam in illis potestiam terminari experiretur homo. At nihil difficilius videtur; ergo si se ipsum creasset homo, creasset se perfectum s. Deum; non est perfectus; itaque non creatus a se ipso est. Sed fortasse numquam creatus est homo fuitque semper ut est. Estne a se? Experitur homo vim se ipsum conservandi; ex eo enim quod paullo ante fuit non sequitur se nunc debere esse sine aliqua causa quae rursus ad hoc tempus creet i. e. conservet. Talem conservandi vim nullam experitur itaque concluditur hominem ab aliquo ente a se diverso pendere.

Paulum subsistamus. 1<sup>o</sup>. Cartesius ponit notionem naturae absolute perfectae in mente inveniri. Sed non probavit se hanc notionem aut a majoribus aut a phantasia diversas notiones comparanti non accepisse. Historia

1) Obj. pg. 55.

2) Object. pg. 56.



testatur notionem naturae absolute perfectae non adesse omnium mentibus; ergo injuria istam notionem inventam habet. 2<sup>o</sup>. Si homo se ipsum creasset, creasset se ipsum perfectum. Haec sententia absurda videtur. Quomodo homo sui ipsius causa esse possit, nullus intellectus capere potest. 3<sup>o</sup>. Homo experiretur vim conservandi i. e. creandi; sed ex eo quod est aut paulo ante fuit non sequitur causam postulari ut etiam paulo post futurus sit. Si non est ab ipso creatus, etiam non opus est ut ab ipso denuo creetur i. e. conservetur.

Concludit Cartesius hominem ab ente a se diverso pendere. Hoc ens diversum, quod ad minimum hominis simile esse debet, crit a se vel ab alio. Quod si a se est, Deus est, sin ab alio, de hoc idem quaeritur donec tandem ad causam ultimam deveniatur quae est Deus. Satis enim apertum est nullum hic dari progressum in infinitum. Hic apparet fundamentum et vitium argumenti quod in hanc formam reduci potest.

Series causarum originis hominis non potest esse infinita, sed debet pendere a causa quae est a se. Causa quae est a se Deus appellatur. Ergo hominis causa est Deus.

Quaesivimus num forte terminum majorem probaverit Cartesius; sed frustra. Non datur progressus in infinitum<sup>1)</sup>; non potest procedi in infinitum<sup>2)</sup>; absurdum esset dari progressum in infinitum<sup>3)</sup>. Haec legimus; sed additam rationem non explicatam invenimus.

---

1) De Meth. pg. 23.

2) Object. pg. 58.

3) Object. pg. 67.

Dicitur enim quaestio esse de causis in esse, non de causis in fieri <sup>1)</sup> vel de causa conservanti, non de causa producenti. Quomodo vero hae causae differre credantur cum conservatio sumatur pro continua productione, non video. Et si Cartesius concedit seriem causarum *producentium* nihil facere ad probandam primam omnium causam sive Deum, idem concedere debet de serie causarum *continuo producentium*.

Facile concedimus causarum series infinitas, sicut omne infinitum, superare intellectum hominis; sed superat eundem notio causae quae est a se. Una difficultas altera non tollitur, et notionem causae absolutae superare captum humanum probant objectiones quas jam ab aequalibus audivit Cartesius.

Monuit theologus Cartesium non probasse a se esse et Deum esse idem significare, ita ut causa hominis licet sit a se, non esset Deus. A se esse intelligi potest positive et negative, de re quae non indiget alia causa et de re quae se ipsam causatur. Quodsi ut hominis causa cognoscitur ens quod non indiget alia causa, tamen illud non est habendum infinitum sive Deus. Statim probare sibi videtur Cartesius significationem positivam unice intelligi posse; negativam autem nullum in rebus habere fundamentum ponit <sup>2)</sup>; et de ente quod est a se nobis licet cogitare illud quodammodo idem praestare respectu sui ipsius quod causa efficiens respectu sui effectus ac proinde esse a se ipso positive <sup>3)</sup>.

---

1) Object. pg. 67.

2) Object. pg. 57.

3) Object. pg. 58.



Hoc vero negat Arnauld. Hic enim existimat contradictionem, esse a se ipso positive et tanquam a causa. Causa differt ab effectu, nec tamen ens a se ipso differre intelligas; inter causam et effectum mutua est habitudo et habitudo non nisi duorum est <sup>1)</sup>.

Reliqua omitto; allata sufficiunt ad probandum notionem illam causae a se nequaquam esse claram et distinctam; cujus rei etiam Cartesius ipse testis est. Contra theologum contenderat Deum esse *positive* a se; nunc vero concedit esse a se tantum intelligi posse *negative*, at ratio, addit, ab essentia Dei pctita propter quam ipse non indiget causa ut existat, dicitur positiva <sup>2)</sup>. Est enim Dei inexhausta potentia, haec habetur Dei causa formalis et quam maxime positiva.

Ita potest affirmari causam a se intelligi positive. Sed hae subtilissimae definitiones tantum efficiunt ut argumentum negligatur. Demonstrandum erat postulare intellectum causam a se quae esset Deus. Fatendum est notionem causae a se non posse intelligi. Notio Dei explicatur ut notio causae absolutae appareat, sed nemo credit hac via e notione causae absolutae (quam non videmus quo jure ponatur) deduci idcam Dei existentis.

Gassendi urget se non intelligere cur absurdum foret <sup>3)</sup>, si quis statueret causarum progressum in infinitum. „Infinite progressus certe videtur absurdus in causis, ita inter se connexis subordinatisque ut inferior agens sine superiore movente esse non possit“.

---

1) Obj. pg. 115.

2) Obj. pg. 129.

3) Obj. pg. 29.

„At in causis ita ordinatis ut priore destructa, ea quae ab illa pendet supersit, possitque agere, non videtur esse perinde absurdum“.

Cartesius fundamento ratiocinii sui utitur existentia sui ipsius *quae a nulla causarum serie pendet*<sup>1)</sup> et tamen affirmare audet quaestionem esse tantum de causis ita inter se connexis ut inferior sine superiore agere non possit<sup>2)</sup>. Conscientiae qua Dei notio continetur, quaeritur causa: numquid ipsa a nulla causarum serie pendeat! Plane non intelligo, sed luce clarius percipio etiam hoc tertium argumentum niti vocibus notionibusque aut non intellectis aut non intelligendis, et nunquam probari posse causarum seriem infinitam esse non posse; sed causarum seriei notionem connecti cum Dei idea ut ita Dei existentia poni possit. Quid est quod hac ratione non possit concludi.

Videmur nobis probasse Dei existentiam nullo Cartesii argumento demonstrari; nedum ejus essentiam quae evidentiam reddat veritatis notam. Quod cum ita sit revertendum videtur ad dubitationem absolutam qua nos liberare non potest philosophus. Sed priusquam totum philosophiae fundamentum destructum censemus explorabimus ultimam methaphysicae quaestionem quae est de rerum materialium existentia.

Homo est res cogitans, — existit aliquis Deus qui non fallit, — et omne id quod clare et distincte percipitur est verum. His propositionibus imbutus intellectus conatur respondere quaestioni num res materiales existant.

---

1) Obj. pg. 55.

2) Obj. pg. 67.



Clare nobis videmur videre plures ideas a rebus extra nos positis quibus omnino similes sunt advenire <sup>1)</sup>. Dei naturae plane repugnat ut sit deceptor; ergo res extra nos existunt et similes sunt earum notionibus. In hanc formam argumentum est reducendum, quamvis repugnante Cartesio. Ideas enim rebus esse similes se opinari clare et distincte (sed injuriae) negat et omnia quae afferuntur praeter Dei veracitatem argumenta inutilia videntur. Argumentum ad rerum existentiam probandam, quod petitur ab imaginatione quae sit applicatio facultatis cognoscitivae ad corpus ipsi intime praesens, rejicitur. Item argumentum quod ducitur a sensibus qui res externas prodere videntur. Sed postquam incepit philosophus se ipsum suaeque auctorem originis melius nosse, non quidem omnia quae habere videtur a sensibus putat esse temere admittenda, sed neque etiam omnia in dubium revocanda <sup>2)</sup>.

Quinam sit modus, quaenam sint regulae, quanta sit fides audiamus. Res existunt; — nam Deus qui non est deceptor potest scorsim creare quod a me clare et distincte scorsim cogitatur. Ideam cogitationis clare distinguo ab idea extensionis; ergo extensio i. e. res extensa existere potest, et quod existere potest, revera existit; experior enim in me multas facultates, ut locum mutandi, aliasque, quae sine substantia cui insunt, existere non possunt. In me quidem est passiva facultas ideas istas rerum sensibilibus cognoscendi, sed plane inutilis esset, nisi existeret quaedam facultas activa

---

1) Princ. II. pg. 24.

2) Med. pg. 39.

illas ideas efficiendi. Haec facultas non est in me cogitanti, quippe qua nulla continetur cogitatio. Ergo debet esse extra me, vel in Deo vel alias. Sed quum Deus qui non est deceptor, non dederit facultatem agnoscendi ideas illas non provenire a se, sed contra magnam propensionem ad credendum illas a rebus corporeis emitti, non intelligi potest quomodo Deus non sit fallax si aliunde quam a rebus corporeis emitterentur. *Ac proinde res corporeae existunt.* Hinc igitur

1<sup>o</sup> patet omnis argumenti fundamentum esse Dei veracitatem, de qua si constaret necessario sequi *omnes* perceptiones esse veras nemo negare potest.

2<sup>o</sup>. Temere Cartesius attendit ad facultatem c. g. locum mutandi quippe quae conscientia non contineatur, et si sine substantia externa intelligi potest haec facultas, hoc sufficere debet Cartesio qui tantum intellectum agnoscit.

Etiam si sensuum perceptiones res externas esse probent, scientia nihil lucri facit; res enim fortasse non tales existunt quales sensu comprehenduntur. Multa experimenta fidem quae sensibus habetur labefactant et cum in somnis illa quae sentiuntur non a rebus externis esse creduntur vigilantibus non est cur rem externam habeat fontem sensus perceptionum.

Quomodo ita perspicitur quae fides sensibus sit habenda? Cum Deus non sit fallax, spes est fore ut homini dederit facultatem ad falsitatem opinionum emendam. Quomodo? Omnia de sensuum objectis iudicia feruntur duce natura quae aliquid habeat veritatis necesse est, quia per naturam nihil aliud intelligitur quam vel Deus ipse



vel complexio eorum quae a Deo homini sunt tributa <sup>1)</sup>. Ergo Deus impellit ad iudicia. Sed si fallimur? Non est Deus qui decipit, sed consuetudo quaedam inconsiderate iudicandi. Sed natura vel Deus impulit! Non attinet; natura sumatur alio sensu pro iis quae homini ut composito ex corpore et mente a Deo tributa sunt <sup>2)</sup>. Haec natura ducit ad ea refugienda quae sensum doloris inferunt et ea prosequi quae sensum voluptatis; sed de rebus externis iudicium ferre non cogit et false sensuum perceptiones usurpantur tanquam regulae certae ad immediate dignoscendum quaenam sit corporum essentia.

Quales ergo sunt res quae existunt et qua ratione cognoscuntur? Intellectus qui intuitu et deductione omnem veritatem inventurus erat non potuit prima scientiae fundamenta jacere. Praeter se ipsum nihil testatur. Sedet tanquam in rupe relictus. Sed hoc non concedit magnus philosophus. Contra, credit se omnes errores posse aut emendare aut vitare. „Si res occurrunt quae distincte unde ubi et quando sibi adveniant advertit, de ipsarum veritate ne minimum quidem potest dubitare, si postquam omnes sensus, memoriam et intellectum ad illas examinandas convocavit, nihil sibi quod cum ceteris pugnet ab ullo ex his nuntietur“ <sup>3)</sup>. Hanc doctrinam lubentes nostram facimus, sed e nostra disputatione appariturum speramus istam doctrinam neque esse posse Cartesii methodi fructum neque allatis argumentis firmari. Itaque patet Cartesium advocata experientia ipsum a se defecisse suamque ipsius methodum redarguisse.

---

1) Med. pg. 40.

2) Med. pg. 41.

3) Med. pg. 46.

---

## CONCLUSIO.

---

Conscientia tantum de se ipsa certa est; — intuitus tantum notiones intuetur; — deductio tantum notiones explicat; — veritatis nota Cartesiana parum prodest; — Dei existentia quae habetur veritatis fons incerta est; — et res externae nullae cognoscuntur. Sumusne audaciores si censemus Cartesii conatum omne scientiam in uno intellectu condendi, irritum esse factum?

Philosophi est principia scientiae intelligere. Ii qui experientiam omnis cognitionis fundamentum habent fatentur scientiam nisi fide naturae humanae neque temere quasvis dubitandi rationes esse conquirendas, quas solvere nullus potest intellectus. Prudenter perstant in via quam semel inierunt et bonis eventis monentur ne aberrent. Comparantes diversas notiones certas quaerunt ideas ut rerum imagines adspiciant. Conantur rerum causas explorare, non quidem deducentes notiones ex notionibus, sed attendentes ad experimenta quae de rebus fiunt, comparantes id quod est cum eo quod fuit, conjungentes ea quae conjugere cogit experientia et utentes acquisita cognitione ut meliore fruantur.



Cartesius nobis exemplo fuit quam alti et quam tenues sint dialecticorum conatus. Magnum sane foret et Dei numine dignum, si quis omnia cognosceret ut creata sunt, si quis nihil se scire fassus eo perveniret ut omnia necessario esse perspiceret, si quis omnia creata comprehenderet, quia creatorem cognitum haberet.

Sed praestat non tantam fovere spem nec ludere somnis. Ideas res esse opinatus facile quis rerum habet cognitionem, sed rerum idearumque vinculum explicare nequit, et quo experientiae fautor se natura duci fatetur, dialecticus invitus fertur. Nemo est qui neget intellectus opus esse quaerenti cognitiones, sed de intellectus vi ambigitur. Facimus cum doct. de Remusat <sup>1)</sup> dicenti nos nihil novisse a priori sed elementa a priori inesse omnibus quae noverimus; si quidem censet aliquam esse intellectus vim cujus jura neque probari neque negari possint. Sin autem putat certas veritates intellectu contineri, jam Cartesii exemplo errore debet convinci. Omne id quod experitur homo, fit cogitatio ac in cogitationibus operatur intellectus. Decet philosophum hanc perscrutari rationem ut cognitionis doctrina sit omnis scientiae principium. Sensit hoc Cartesius, sed captus notione philosophiae quae esset puri intellectus scientia non potuit hujus intellectus vim explorare. Nostro convenit aevo priorum erroribus edocto vias evitare quibus nihil certi inventum est, et regia via quaerere cognitiones quarum capax est ingenium humanum.

---

1) BACON. Sa vie, son temps, sa philosophie et de son influence, par CHARLES DE REMUSAT (1858) pg. 349.



## QUAESTIONES.

---

### I.

Cartesii dubitatio ex sincero animo fuit profecta.

### II.

Cartesii cognitionis principium non nititur syllogismo.

### III.

Cartesiana veritatis nota continetur propositione quae laborat principii petitione.

### IV.

Nullum quo Deum existere se probare putavit Cartesius, validum mihi videtur.



## V.

Cartesii systematis conclusio dissidet ab ejus principiis.

## VI.

De Cartesii litibus cum Voetio agitatis, recte ita judicat Ritter (Gesch. d. Phil. XI, pg. 10): „Die Verfolgungen, welche der protestantische Theolog Voetius zu Utrecht gegen den sehr zweideutigen Cartesianer Regius erregte, indem er die Cartesianische Philosophie als Atheismus verabschiedete, hatten den Descartes nicht zu einer weidlaufigen und leeren Gegenschrift und zu Prozesse, welche im Geleite dieser gelehrten Streitigkeiten waren verleiten sollen“.

## VII.

Tenendum mihi videtur principium quod posuit Cartesius (Princ. Phil. I, 40 et 41): „Facile possumus nos ipsos magnis difficultatibus intricare, si Dei praedestinationem cum arbitrii nostri libertate conciliare, atque utramque simul comprehendere conemur. Illis vero nos expediemus, si recordemur mentem nostram esse finitam; Dei autem potestatem per quam non tantum omnia quae sunt aut esse possunt ab aeterno praescivit, sed etiam voluit ac praedestinavit esse infinitam; ideoque hanc quidem a nobis satis attingi ut clare et distincte percipiamus ipsam in Deo esse, non

autem satis comprehendi, ut videamus quo pacto liberas hominum actiones indeterminatas relinquat, libertatis autem et indifferentiae quae in nobis, nos ita conscios esse ut nihil sit quod evidentius et perfectius comprehendamus. Absurdum enim esset propterea quod non comprehendimus unam rem quam scimus ex natura sua nobis esse debere incomprehensibilem de alia dubitare quam intime comprehendimus atque apud nosmet ipsos experimur. "

## VIII.

Errare mihi videtur Suringar statuens (Opvoeding der Zint, pg. 33): „Zelfs aangaande zoodanige zaken, die als stoffelijke voorwerpen meer onmiddelijk voor zintuigelijke waarneming vatbaar zijn, kan de mensch zich geenerlei begrip vormen, zonder daarbij van de twee niet slechts aan de voorwerpen zelve, maar ook aan onzen geest eigene denkvormen, tijd en ruimte gebruik te maken. "

## IX.

Philosophos empiricos in rebus cognoscendis *rationem* petere Erdmann non probat allato exemplo (Vorl. ueber Akad. Leben, pg. 274): „Wenn es auch wirklich richtig wäre, dass es immer regnet, wenn man Jahrmarkt hält, so würden (die Empiriker) darauf gar kein Gewicht legen; dagegen wenn unter hundert Fällen nur einmal ganz genaue Zahlenverhältnisse, ganz regelmässige Krystallisationsform sich zeigte, würden sie bei



diesen einem Fall stehen bleiben und die neunundneunzig andern als verunglückte Experimente ansehen“.

## X.

In Hegelianorum legem dialecticam egregie convenit quod dicit Goethe (Wahrheit und Dichtung, X pg. 202 ed. germ. class.): „Es lässt sich alles behaupten, wenn man sich erlaubt, die Worte ganz unbestimmt bald in weiterem, bald engerem, in einem näheren oder ferner verwandten Sinne zu gebrauchen und anzuwenden“.

## XI.

Assentior docto C. S. Barach, qui contendit (Die gegenw. Aufg. d. Phil. 1858): „Die spekulative Philosophie bewegt sich in einer ungeheueren petitio principii“.

## XII.

Philosophis dialecticis non est concedendum id quod postulat jam Cartesius (Epist. T. III, pg. 47): „finem inservire probando principio“.

## XIII.

Falso Plutarchus (Lycurg. cap. 8) agrorum partitionem Lycurgo tribuit.

## XIV.

Amphictionum conventus non fuit, ut a Cicerone appellatur (de Inv. l. II, 23), „ commune Graeciae consilium “.

## XV.

*Προμαντεία* non habendum est jus ante alios oraculum consulendi.

## XVI.

Miltiadis in Parum insulam expeditio ejusmodi fuit ut Athenienses jure in eum irati facti sint.

## XVII.

Injuria Alcibiades ab imperio revocatus est.

## XVIII.

Orationes Olynthiacae solito ordine disponendae videntur.

## XIX.

Bellum Chalcidicence initium cepisse statuo Ol. 107,4, dissentiente Grote (Gesch. Griech. T VI, p. 260 vers. Germ.)



## XX.

Athenienses prius Samum liberasse quam Byzantium profecti sunt, contra Diodorum Siculum (XVI, 2,) statuendum mihi videtur.

## XXI.

Improbendam censeo opinionem quam Mommsen (Rom. Gesch. I. p. 64 ed. primae) substituit opinioni Niebuhrii statuentis (Rom. Gesch. p. 329 ed. Berol. 1853 et Vortr. I, p. 172) *clientes* non cum *plebe* confundendos esse.

## XXII.

Errasse mihi videtur Maharbal, quum post proelium Cannense diceret (Liv XXIII, 5): „vincere scis, Hannibal, victoria uti nescis“.

## XXIII.

Puerorum qui ad altiores diciplinas erudiendi sunt recta institutio postulare mihi videtur, ut linguarum recentiorum et rerum naturalium studia a gymnasiis arceantur.

## XXIV.

In Sophoclis Electra, vs. 675 sq.

ἔν δ' ἴσθ', ὅσων γὰρ εἰσεκήρυξαν βραβῆς,

δρομων διαυλων πεντάεθλ' ἃ νομιζεται,  
 τούτων ἐνεγκῶν πάντα τὰπινίγια  
 ὠλβίζετ',

versum δρομων διαυλων spurium habendum esse statuo.

## XXV.

In ejusdem fabulae vs. 703 et 704 :

ομοῦ γὰρ ἀμφὶ νῶτα καὶ τροχῶν βάσεις  
 ἤφριζον, εἰσέβαλλον ἰππικαὶ πρῶαί.

pro ἤφριζον, εἰσέβαλλον, legendum esse censeo ἀφρισμόν  
 ἐξέβαλλον.

## XXVI.

In Sophoclis Antig. vs. 611 sqq. sic legendi videntur:

τό τ' ἔπειτα καὶ τὸ μέλλον  
 καὶ τὸ πρὶν ἐπαριέσει  
 νόμος ὅδ' "οὐδεν' (οὐδενὶ) ἔρπει  
 θνατῶν βίωτος παντελὲς ἐκτὸς ἄτας."

pro quo vulgo:

"οὐδέν ἔρπει  
 θνατῶν βίωτω πάμπολις ἐκτὸς ἄτας."

## XXVII.

In Vergilii Aen. I. vs. 109 :

*Tris Notus abreptas in saxa latentia torquet,*  
*Saxa vocant Itali, mediis quae in fluctibus, Aras,*  
*Dorsum immane mari summo:*



medius versus retinendus et sic, me iudice, interpungendus est:

*Saxa, vocant Itali mediis quae in fluctibus Aras.*

## XXVIII.

Ibidem I. vs. 207 sqq.

*Hic tamen ille urbem Patavi, sedesque locavit  
Teucrorum, et genti nomen dedit, armaque fixit*

*Troïa: nunc placida compostus pace quiescit:*

verba *placida compostus pace quiescit*, non de vita tranquilla, sed de morte intelligenda esse, contra Cl. Peerkampium defendo.